

Wiener Stadtbibliothek

19933

B



Wiener Stadtbibliothek

19933 B

*Sedet aeternumq; sedebit.*

INDV  
PERATO  
RVM

DOMVS  
HAC



Handwritten text at the top of the page, possibly a title or reference number, appearing as "11111111111111111111".



Handwritten text in the bottom left corner, possibly a date or reference number, appearing as "11111111111111111111".

Handwritten text in the bottom right corner, possibly a date or reference number, appearing as "11111111111111111111".





Wessg. Kahan sculpsit.

CORONA  
DUODECIM CÆSARUM  
E X

Augustissimâ  
Domo Austriacâ,

Q V A M

**F**ERDINANDUS  
TERTIUS,  
Cæsar Decimus Tertius,

**F**ERDINANDO  
QUARTO,  
Romanorum Regi Decimo  
Quarto,

SEPTEMVIRORUM  
SAC: ROM: IMPERII

UNANIMI CONSENSU  
IMPOSUIT,



CELEBRATA  
ELOGIIS

Latinis, Græcis, Hebraicis,  
solutis, ligatis,

ET

Adaugendam publicam  
orbis lætitiã,

EIDEM

AVGVSTO REGI

ERDINANDO  
QVARTO,

D. D.

*A*

QVATVOR  
FACULTATIBUS  
Vniverſitatis Auftriacæ

V I E N N Æ

M. DC. LIV.





Uodecim radijs coronas re-  
gias constare, tum ex num-  
mis veterum, monumen-  
tisquē alijs; vel ære fufis, vel mar-  
more incifis; tum ex Virgiliano  
carmine videmus, ubi Latinus  
fœdera certaminis inter Æneam  
& Turnum sancturus, sic  
describitur l. 12.

Æneid.

- - *Ingenti mole Latinus*  
*Quadrijugo invehitur curru, cui tempora circum*  
*Aurati bis sex radij fulgentia cingunt*  
*Solis aui specimen*

Ita Pierius l. 7. Hieroglyph. c. 9.

# Author narrationis de

Coronatione

## FERDINANDI II.

describens nummos in eadem

sparsos, inter reliqua l. 3.

hæc habet.



**I**N facie aversâ erat dextera  
manus ex nube protensa,  
ac manicata, ad cubitum  
usque, quam erratica bractea am-  
biebat, hoc Symbolo litterata: LE-  
GITIME CERTANTIBVS:  
sustinens auream coronam DVO-  
DECIM RADIIS coruscantem,  
oras extremas circulus aureus  
claudebat.





Philipp Kallmüller sculp.

Christophorus Eger



**F**ERDINANDO  
QUARTO,

PIO, FELICI, AVGVSTO,  
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ

REGI  
POTENTISSIMO,  
Univerſitas Auſtriaca Vienneniſis  
FELICITATEM.

**F**RIDERICVS *pacificus* MA-  
IESTATIS TVÆ *Quadrivovus,*  
*postquam Filium* MAXIMILIA-  
NVM *Frankofurti, anno Virginei par-*  
*tûs supra Millesimum Quadringentesimum,*  
*Ocluagesimo Sexto, Romanorum Regem*  
*renunciatum vidit; prolixâ hac, piaquè precatatione quotidie de-*  
*inceps iteratâ, Divino Numini gratum memoremq; se exhibuit.*

Nunc dimittas ſervum tuum Domine, ad  
pacem, & tranquillitatem, quam prædeſtinasti

mihi secundum magnam misericordiam tuam.  
DEVS meus: Quia viderunt oculi mei SALUTARE tuum, quod ex me parasti Tuo Populo Christiano, ad tuorum inimicorum destructionem, Filium meum MAXIMILIANVM, inquam, lumen oculorum meorum, & baculum senectutis meae, super quo innixus quietem sumam optatam: O DEVS meus! ô misericordia mea infinita! ô misericordia immensa! quoniam non derelinquis in finem quærentes, & invocantes te; quas igitur laudes ac gratias tibi dicere possum indignus de tantâ gratiâ & munere? si ex toto corde meo ajo, si ex omnibus viribus meis dicere velim, nil facio de meo; Quoniam tua sunt omnia, & ego totus tuus sum, & tua creatura: omnia denique tibi jure debentur bona, quoniam à te sunt facta: accipe tamen secundum Clementiam tuam immensam, & secundum dignationem tuam infinitam de servo tuo, quod tuum est, tibi què debetur, æternas, & immortales gratias, quia & hanc misericordiam fecisti cum indigno servo tuo, sicuti fecisti cum servo tuo David, ut poneres super sedem meam de fructu ventris mei, in conspectu meo, & super thronum Filium meum post me regnaturum populum tuum sanguine tuo pretioso redemptum; Et nunc tu Domine DEVS, cœli & terræ creator & gubernator, liberalissimè audi orationem meam, ut impleas eum Spiritu Sapientiæ, & Intellectus, Fortitudinis & Iustitiæ sicuti Salomonem Filium servi tui David, ut,  
possit

possit hæreditatem tuam in unum aggregare, unire, pacificare, custodire, ac gubernare: hostes tuos hæreticos, schismaticos, & infideles, ad viam reducere veritatis, rebelles & obstinatos compescere, & extirpare: fidelem populum tuum ac cultum tibi debitum ampliari & augere. Benedic & sanctifica ipsum benedictione Patrum Abrahamæ, Isaac, & Iacob, ut multiplicetur semen suum super terram sicut stellæ cæli, manus eius fortes fiant, in cervicibus inimicorum tuorum: diligant eum tribus ac populi, ac omnes nationes fideles; accurrant sibi armata auxilia in tempore opportuno, comitentur eum sancti Angeli tui Michaël, Gabriël, Raphaël: sitque illi semper Victoria de cælo tuo, sicut & Achatio & Georgio; Duce S. Mauritio, quatenus pacificis tuis Christianis, obtineat terram Palsionis tuæ sanctæ, despectui & ludibrio tam diu subiectam: nunc enim, ut spero, tempus venit, & venit tempus miserendi, quo Christiana multitudo capta & subacta ab immanissimo, ac turpissimo Turco, terraquæ sancta tua liberabitur per manum meam & Filij mei post me. Da igitur nobis Domine DEVS omnipotens ( qui aufers spiritum Principum Tyrannorum; & destruis consilia Regum impiorum ) potentiam, & virtutem, ut hæreditatem tuam, & terram sanctam sepulchrumque tuum, ( quod vidi meis indignis oculis ) possideamus, in syncerâ bonitate, ac purâ innocentia tibi semper seruiamus, semper te sequamur, te diligamus, tibi semper adhæreamus,

te

te nunquam deseramus, ut à te nunquam deseramur, sed ad te post labores, & sudores nostros, quietem perveniamus æternam, Amen.

*Ab his tam ardentibus Friderici Quarti pro Filio Maximiliano votis, persuasum omnino habemus non aliena fuisse D. FERDINANDI III. Majestatis Tuæ Parentis Augustissimi pia, iustaque vota, quando eundem Sacri Romani Imperij coronâ fulgentem conspexit: Sunt & bonorum omnium omina non dissimilia; ut nimirum stabilita inter Christianos Principes ac Populos pace, diu, (quod Martialis Poëta Domitiano Cæsari & filio eius apprecatus est) Regas Orbem cum Seniore Senex Parente: nec non impietatem & abominationem Othomannicam in loco sancto tam diu jam sedentem, impièquè exultantem porrectis cœlitus armis frangas & extirpes, ita pro Deo & Populo feliciter, gloriosèquè Christianum nomen propagaturus: Neque enim consuetum aliquid, aut vulgare de Te sperare nos sinunt excellentes illæ dotes, & prærogativæ, FERDINANDE REX, quibus ad summum culmen Imperij evectus es: unum Te inter tot Austriacos Principes Romanum Regem, Romani Cæsaris Filium, & Nepotem continuatâ serie veneramus, ex eâdem Familiâ decimum Quartum; qui honos, sicut nulli hactenus Principum contigit, ita tibi gloriosus admodum faustusq; futurus est, si memineris à Caio Iulio decimum Quartum Cæsarem fuisse Traianum optimum Principem: à Constantino Magno Theodosium itidem Magnum, ideam Cæsarem, nuncupatum; à Carolo Magno, ob vitæ sanctitatem inter Divos relatam Henricum: Si præterea memineris numerum hunc, præsertim Serenissimæ Tuæ Domui semper auspiciatum fuisse. Nam ut prætereamus RVDOLPHVM I. illum Austriacæ magnitudinis fundatorem gloriosissimum, quatuordecim Victorijs nomen*




nomen *Victoriosi* obtinuisse, eoque in *prælio*, quo *Austriam*  
*Filio ALBERTO* posterisq; *vendicavit*, *quatuordecim*  
*millia hostium fudisse: ut omittamus etiam CAROLVM*  
*V. decimâ quartâ die Augusti Anno salutis M. D. XX. me-*  
*morabili contra Gallos victoriâ totum Regnum Navarræ rece-*  
*pisse: PHILIPPVM I. decimâ quartâ die Ianuarij*  
*Anno Domini M. D. V. amplissima Castellæ & Legionis Regna*  
*adiisse: Hoc sanè singulare est, & omine divinitus firmato non*  
*caret. Cùm anno decimo quarto post Christi sæculum itidem*  
*decimum quartum FRIDERICVS V. Austriacus*  
*fide religiosè datâ, & religiosus servatâ, IOANNEM*  
*XXII. Pontificem Maximum per Fortunarum penè omni-*  
*um iacturam constantissimè tueretur, factum est, quod nondum*  
*exacto ejusdem sæculi dimidio ALBERTVS itidem V.*  
*non solum Germaniæ, Hungariæ Bohemiæq; coronis eodem anno*  
*indueretur, sed ab eodem etiam tempore potentissima Tua Do-*  
*mus non interrupto ordine, summo in Sacro Romano Imperio ho-*  
*nore, & augustali gloriâ potiatur. Verùm, quamvis hæc mira*  
*sint, & Te undiquè respiciant; numerus tamen hic Decimus*  
*Quartus ideò Tuus peculiariter est, quod sicut, ex geminato*  
*septenario consurgit, ita geminata septem divinissimi Spiritus*  
*dona demonstrat. Nosti FERDINANDE REX*  
*AVGVSTE, septimum à Rudolpho ex Cæsareâ tuâ*  
*Domo Cæsarem fuisse CAROLVM V. in quo certè*  
*Spiritus Sancti dona, præsertim verò donum Fortitudinis mirifi-*  
*cè eluxit: Quid hic superest, nisi ut nobis persuadeamus septem*  
*hæc Divi CAROLI dona geminanda in Te, qui à*  
*CAROLO Septimus es: ut quemadmodum ille infide-*  
*lium omnium, ac præsertim Turcarum terror fuit maximus;*  
*ita Tu eorundem prorsus Victor, ac Debellator evadas; Et*  
*quis scit an non ideò eodem aureo vellere indutus fueris, quod*

**CAROLVS V.** *gestavit, ut scilicet ejusdem bellicarum virtutum quoq; Heres, & propagator, ubi spiritus ejus duplex in Te factus fuerit, ea tandem pro Ecclesiæ Orthodoxæ incrementis, pro Augustissimæ Domus Tuæ perenni gloriâ perficias, quæ inchoare poterat, non perficere* **CAROLVS.** *Cujus proinde, sicut & reliquorum Cæsarum Austriacorum Effigies oculis Tuis subijcimus, virtutum Elogia animo: ut & videas, qua sis ab origine natus, & quantam spem Christianus Orbis in Te ponat, quem nimirum non solum Austriacæ Majestatis, sed virtutis quoq; hæredem venerabundus agnoscit. Sit igitur hæc Corona Majorum Tuorum potissimum Regiæ Majestatis Tuæ ornamentum: sit ad sublimia illa, quæ* **PRO DEO ET POPVLO,** *confecturus es, acer stimulus: sit* **CORONA GRATVLTATIONIS** *nostræ, DECORIS TVI.*

## MAIESTATIS TVÆ

*Humillimi*

N. IV. Facultatum Academi-  
carum Decani.





CORONÆ  
DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Primus,

S I V E

RVDOLPHI I.  
VICTORIOSI  
Elogium.

NARRATIO

Natus est RVDOLPHVS anno, quo scribere licuit:

HIC EST VERVS ABRAHAM AVSTRIACIS

Pater, non multarum gentium,

Sed omnium penè in Europâ Principum.

Ideò meritò celebratur encomio Hebraico.

רודולפּש אַ אַבּוּר :

רודולפּש רודולפּוּ אַבּוּר

בְּאֵרֵי אֲבֹתֵינוּ

אֲבֹתֵינוּ בְּרֵי אֲבֹתֵינוּ

וְאֵת רֵשׁוֹתֵינוּ בְּבֵן יִסְרָאֵל

# RVDOLPHVS

A Patre ALBERTO Prudente, & Avo RVDOLPHO Seniore  
Hæreditariam accepit senilem prudentiam.

Ut in aulâ FRIDERICI Cæsaris degenti Juveni  
*Nefas* ducerent non assurgere etiam Senes, quibus si non assurgant  
Juvenes, est *nefas*

Proavus ALBERTVS dives ominari rectè potuit:  
olim nascetur

Calendis Maij Caput mihi aureum.

Demonstrabit non umbra, sed consilio thesaurum pacis  
In Germaniam & Italiam reducendæ,

Non degenerabit in deteriora metalla:

Sed perennem auri radicem fundabit vel in pedibus,  
Novissimè Nepotibus pervijs Regnis Pervanis.

Certârunt pro RVDOLPHI ortu non septem Urbes,  
Sed duodecim menses:

Vicit Majus,

Ut dicatur etiam in anno Austriaco:

**MAIO NIHIL MAIUS,**  
Austriacis nihil maius in Imperio,

Nuptialium fæderum Sidera Gemini

His beârunt RVDOLPHVM benignis influentijs,

Ut nuptijs & liberis evaderet BEATISSIMUS PATER.

Natales Austriacæ Magnificentia, Calendæ Majæ.

Non amplius consecrentur BONÆ DOMINÆ;

**Sed bonæ Domui Austriacæ**

Inde gens Habsburgica sumit splendoris sui Exordia,

Unde verni dies in puriores laxantur splendores:

Crescet cum serenioribus diebus,

Florebit cum Florum Patre Majo.

Ad imperium elevandum,

Levavit è Christianorum undâ FRIDERICUS II. IMPERATOR,

Nescius se gestare Herculem,

Cui ipse stationem cederet minor Atlas:

Nomen Germanum tam germano pectori debebatur

**RVDOLPHVS;**

Tam

Tam Forti Duci, à gladij capulo;  
 Tam felici Principi, ab auro.  
 Vixit à puero in Aulâ,  
 Nullibi rectius victurus, quàm quò natus est.  
 Comitatus Comitem se ostendit, prudentiâ senem,  
 Fortitudine Habsburgicum Leonem.  
 In pugnis imaginarijs  
 Syndromos omnes præcucurrit Prodrumus ipse.  
 Poli-Stephanos in arenâ toties,  
 Ut præluderet uni CORONÆ,  
 Suscepta à Cæsare militaris ordinis insignia  
 Primò ad Mediolanum explicuit Victioriosa;  
 Posthæc in vicinos movit,  
 Cum quibus ei de finibus non admodum convenit,  
 Ut dum fines terrarum suarum tueretur,  
 Nullos poneret gloriæ.  
 Columbariam vase clausum militem immisit,  
 Qui quasi ex *Equo Troiano* emergens  
 Portas referaret noctu sibi intraturo.  
 Processit altus, & non ex vacuo vase.  
 Vltenbergia pabulatores statò tempore in albis equis emisit,  
 Rudolphus totidem albos in insidijs collocat;  
 Illis paululum præterlabentibus,  
 Hi ad castrum quasi fugitivi se conglomérant.  
 Panduntur portæ socijs (ut videbatur) ab hoste repulsis.  
 Sed Hostes, non socios admissos  
 Loci deditione serò agnoverunt Vltenbergij.  
 Ita amicos conciliare solita similitudo  
 Hostes vincit simulata.  
 Inter hæc Basilea in duas factiones scinditur  
 Stelliferorum, & Psittacorum;  
 Hi illos urbe pellunt:  
 Non diu ambigunt stelliferi, quò se vertant.  
 R V D O L P H V M Imperio Romano jam jam exoriturum,  
 Tanquam Solem suum adeunt obscuratæ Stellæ,  
 perditamquè per eum lucem,  
 Id est, creptæ patriæ S O C I O S reperiunt.  
 Quodam prælio contra Burgundum acriter pugnat,  
 Equo tamen deijcitur:  
 Verùm è casu fortior lacum propinquum armatus insilit, trajicit.  
 Tantum

Tantum de Epaminonda ut Coclides  
 Narrare historia vix audeat,  
 De Turno comminisci Fabula.  
 Denique Brisgovia, Ergovia, Turgovia,  
 Satis fenserunt ferium in armis, & severum Rudolphum,  
 Humanum Abbas S. Galli,  
 Cui per familiare colloquium persuasit  
 Concordiam, & mutuam armorum fidem.  
 Verbo perinde efficax, ac ferro.  
 Temperaturus jam tunc insignia sua Nepotibus:  
 Ut & RUBRA in eis timeretur SEVERITAS,  
 Et CANDIDA diligeretur HUMANITAS.  
 Nullusquè esset, qui palmam non deberet Austriacis;  
 Aut severis, si hostis sit;  
 Aut siamicus, humanis.  
 Popolari voce RVDOLPHVS hætenus imperare meruit,  
 Principum suffragio debuit:  
 Lectâ & numerosâ prole  
 Ad Imperij status connubiali vinculo copulandos necessarius.  
 Alia sunt Numinis decreta.  
 Debuit magnus hic Austriacæ Majestatis excitator  
**Firmamenta tot Regnorum**  
 In ORBE fundare non profanæ Fortunæ  
 Sed S. EVCHARISTIÆ:  
 ut discant Monarchæ,  
 Nulli suum imperium in quadro staturum firmiter  
 Hac Cælesti Rotâ.  
 In utrumquè terrestrem Orbem excurret gens Habsburgica  
 Cursu tam firmo, quàm veloci,  
 Ut qui Solis EVCHARISTICI tantâ ardent pietate hæreditariâ;  
 Tam amplis hæredes imperitarent regnis,  
 A quibus illustrandis Sol nulla hora deflecteret.  
 Hoc unde processerit, cæpta prosequetur Narratio.  
 Sôlebat RVDOLPHVS armorum horrorem venatu mitigare:  
 Etiam studijs minus serijs properabat ad Sceptrum,  
 Feriæ Principum sunt persequi Feras.  
 Dum ergò quadam die Sylvarum lustra lustrat,  
 Prædam reperit tam pretiosam,  
 Quàm parum quæsitam,  
 Cervum,



Cervum, sed è Nephthalinis saltibus emissum  
 Hinnulum, sed Gratiarum.  
 Caperat in pluvias resolvi mitte Cælum.  
 Crediderim pluiffe scepra, & coronas.  
 Augentur aquæ è vicinis montibus confluxæ,  
 Sed in aurifluos Pactolos Habsurgico;  
 Hæ præscripto aggere altiores  
 Ægrè jam sustinent Sacerdotem,  
 Forte salutis pharmacum moribundo deferentem.  
 Quo an sanatus sit, nescio:  
 Hoc scio,  
 Ægram tot latronum vulneribus  
 sanatam Germaniam.  
 Hic è medio venandi ardore advolat,  
 Repentè RVDOLPHVS,  
 In terram defilit,  
 Adorato de minimo genu Sacro Ferculo,  
 Equum insuper traijciendo præstat,  
 Humili pede sequitur, nunquam verius Comes,  
 Nunquam melior Venator;  
 Imò è Venatore jam factus Prædæ suæ  
 Fælicissima Præda.  
 Sed sinamus sacram dapem comitari  
 pium Comitem,  
 Atquè intereà venationem quoquè hanc interrumpamus  
 Pelasgo Præconio.

Ρ Ο Υ Δ Ο Λ Φ Ο Σ  
 Π Ρ Ω Τ Ο Σ Μ Ε Γ Α Σ

Ἀξίως οὕτω ῥητὸς,  
 ὅτι τῆς Αυστριακῆς οἰκίας ὁ γονεὺς,  
 ἐν ἧ  
 οὐδείς ἔ μέγας γεννάεται, εἰδὲς ἔ μέγιστον γίνεσθαι.  
 Εὐνεῖκε ἐπὶ σχεδὸν ἐν ταῖς κοιτίσι οὗτοι Αυστριακοῦ Ἀλέξανδροιο  
 τὸ μὲν εὐλοῖ μέγιστον,  
 ἐξ οὗ ἔκ εἰ μὴ τὰ μέγιστα ἢ ἥρωικὰ ἐμελέσθαι  
 εἰς πᾶσιν.  
 ὡς ἐν τῷ τῆς ἄρεθης, εἰς τὸν τῆς πικρῆς νεῶν γιγανταίοις τοῖς βήμασι περὶ Ἑθναῖοι,  
 μιᾶς ἂν αὐτῆς τῆς ἡμέρας ἐν τῷ Δυναστεύει ἰσπανεσάται εἰς τὸν Καίσερος,  
 ἐπείνης ἡμερῶν  
 ἢς ἂν ἦ νεμίων θηρεύων, ἀποφανομένων ἐν τῷ ἄρηνε οἰανισμῶτων,  
 ἀνπα-

ἀντάσαντ' αὐτῶ τὸν ἐν τῷ Ευχαριστικῷ Ἐπικυκλῶ Θεῶν  
 πηλώδης ὁ πεζίτης ἐξ ἰαπότῃ γεγονώς  
 εὐτυχεῖ τῇ εὐσεβείᾳ ἐθρέυσσε,  
 εὐτυχῆς κ' εἶπ' ἠθρευτῆς, ᾧ εἰς τὴν λείαν αὐτοῦ ὁ Θεὸς συνανήσας ἦτο,  
 Καλῶς ἔμακαρίως ἐστὶ, μέγιστε τῶν Αὐστριακῶν γονεῦ ᾧ ΡΟΥΔΟΛΦΕ,  
 Αναγιώσκει νῦν ἐνβεντούτῳ σου ᾠδαδείγματι ἔκμαθον σεβαστὸν ὑπέρημα,  
 οὐκ εὐδαιμονοστέρεως θηρέεσθ' τὰς δρχαίς,  
 ἢ ὅτε θηροτρία τῇ εὐσεβείᾳ θηροτρ' ἐκείνῳ,  
 ὃς τῶν βασιλέων βασιλεὺς, καὶ τῶν κυρίων κύριός ἐστι.

οἶα  
 ὃν πάλαί θεία ἐν ἱεραῖς πικύαῖς ἠνύμφη,  
 ὠμοιωθέντ' αὖ τῇ θορκαδί κ' νεβρῶ ἐλάφῳ,  
 πηδῶντ' ἐπιτῶ ὄρη, ἔλαττόμενον ἐπὶ τοὺς βουνούς τεθείαι

## Ἰ Ῥ Ο Υ Δ Ο Λ Φ Ε.

Ἐπιγιώσκει ἤδη ἡ οἰκίμην,  
 εἰς πρὸς τὴν δρχὴν ἐήμασι σεφανοφόρον τὸ σε ὑπέρημα βάλινη,  
 κ' ἐκείνα αἰδομένη κύει,

ἔ κείρει  
 ἔω' εὐχαρίστη τῇ τῶν Αὐστριακῶν Ἐπικρατεία τυγχάνεσσα.  
 οἶα  
 οὐκ αἶψας ἔω' αὐτῶν Ἐπικρατείας, ἠτῶν χαρίτων προσδοκήσασα,  
 ἐπειδὴ  
 προξένη τῆς Ευχαριστίας  
 ἢ τῶν Αὐστριακῶν Ἐπικρατεία ἐγενήθη.

Sacerdos post expensas Cæli epulas  
 Equum reddere parat,  
 Portorij loco non simplices addat gratias:  
 Sed comes: Absit, inquit, ut alius  
 A meo Magno Alexandro hunc Bucephalum  
 conscendat:  
 Exiguam hanc humanitatem dudum debeo  
 Meo Humano Deo.  
 Dixit, censumque equo huic muneri in perpetuum alendo attribuit.  
 Munera in homines collata eos excæcant:  
 Si DEO tribuantur, acutè faciunt  
 Videntes Prophetas.  
 Testis Vestalis Vates Rudolpho Sanguine conjuncta,  
 Et in claustro Fax, Tigurum inter, & Aquas DEO mancipata,  
 Hæc postridiè ita ad novum Venatorem:  
 Fecisti heri Rudolphe, quod DEVS omnibus sæculis remunerabitur,  
 Novenarius Tibi porrò observandus est,  
 Numerorum maximus;  
 Maximo pensabitur officio hesternorum obsequium.  
 Præstolatur interim Rudolphus bene criticas

Horarum, dierum, mensium, annorum  
Henneades :

Donec nono ab hinc anno Romanorum Rex esse iussus, agnovit  
Interruptam illam Venationem sibi admodum fructuosam  
accidisse :

Siquidem in ea insecutus A G N V M  
Pinguissimam cepit Lupam.

Quod igitur perpetuum sit

Habsburgico - Austriacorum Principum Imperijs :

Anno LXXIII. post duodecimum à D E O ex Virgine nato sæculum,

Die D. Michaëli militantis Ecclesiæ Archistratego sacra,

Gregorio X. eidem S. Ecclesiæ A D V O C A T U M multis postulante,

Post annorum pene XXII. nocivum interregnum,

Germaniâ occultis latrocinijs sylvescente,

Italiâ apertis factionibus inflammata,

Alphonso Castellæ Rege,

Richardo Cornubiæ Comite,

Rege Bohemorum Ottocaro

Competitoribus potentissimis,

Electorum gratiâ ab his fraude, precibus, muneribus quæsita,

**Rudolphus Comes Habsburgicus**

De Imperio nequè cogitans, nequè somnians

Ratisbonæ Septem virûm omnium calculis

Romano - Germanicus Rex, Cæsar, Imperator renunciatur.

Non solùm Regum corda in manibus D E I sunt;

Sed eorum etiam, qui Reges creant.

Non melior A D V O C A T U S fuerit Ecclesiæ D E I,

Quàm qui sic vocatur ad imperandum.

Mirum! tam intricatam causam eum obtinere potuisse pro se,

Qui minimè egit pro se.

Vrbanissimus est D E V S, vinci nescit Vrbanitate,

Ita urbanè agentem pro honore Sacræ

**Eucharistiæ,**

Eo anno,

Quo Urbanus Quartus sacro huic ferculo peculiare honores decrevit,

Maximâ prosequitur humanitate,

Pro equo præbet Regnum,

Portorium fit Imperium.

I Basileensis Præful, frigidè & timidè exclama :  
 Næ te Christe Comes hic folio tuo deturbabit !  
 Non movebit folium Christi in Cælis,  
 Qui tam novam ei in terris substravit fellam.  
 Rudolphus interea horum omnium ignarus Basileam premit,  
 Vix habita Pappenheimio, & Brandeburgico fide :  
 Hunc tamen, qui concordēs sortes attulit,  
 Principem dicit, & Norinbergensibus præstituit,  
 Utque dies ille nulli ater esset,  
 Quo tot candidos calculos accepit Rudolphus,  
 Basileam ilicò laxat obsidione.  
 Prima Regum Virtus Clementia statuat meruit  
 Sculptur Rudolphus eques, dexterâ Electorum suffragia,  
 sinistrâ sceptrum gerens,  
 Et Basileæ in publico collocatur :  
 Poterat hujusmodi addi Epigraphæ:

D. RUDOLPHO ROM: CÆS:  
 S. AVG.

S. P. Q. BASIL. PP. DD.

Qui ubi se Regem renunciatum  
 Ex his literis intellexit,  
 Urbis hujus  
 Sibi cognominis  
 Muros, Cives  
 Regiè, clementer servavit.

Vulgârunt hæ eadem literæ hanc Clementiam instar Famæ,  
 Hic idem equus instar Pegasi:  
 Nec voluit donatarius ab equo DEVS  
 Donatorem suum aliter sculpi ad gloriam,  
 Quàm equitem:  
 Voluit etiam, ut idem Sacerdos Aquisgrani  
 Coronam Archi-Præfuli porrigeret  
 Rudolpho imponendam,

Quem

Quem olim DEI bajulum suo imposuerat equo :  
Vbi cùm sceptrum inaugurationi necessarium desideraretur ,  
In mortalium incuriâ

Studia sua Superi prodiderunt :

Nam cùm quidam cunctarentur Sacramentum dicere ;  
Cæsar arrepto è vicinâ arâ crucifixo, inquit :

Hoc sceptro, quo DEVS regnat,  
Vtar contra hostes  
DEI, & Imperij.

Quot verba, tot fulmina!

Ad quæ sternuntur extemplò cunctatores ,  
Inq; Cæsaris jurant manum.

Sic ab eodem cum Christo ligno, & signo  
Auspicatur Imperium Rudolphus ,  
Obedientiam subditorum ibi suscipit ,  
Vbi DEUS ad mortem fuit obediens ,  
Scientissimus Geometra ,

Et Decempedator

Nepotibus suis terras metitur post terrarum fines  
Decempedâ cruce.

Summa tot Imperiorum momenta ponderaturus  
Stateram apprehendit, à quâ dicatur

Iustus ,

Simulacrum divinæ erga mundum pietatis, à quâ  
Pius ,

Palمام , à quâ audiat

Victoriosus.

Quia latrunculos Germaniæ exterminare meditatus ,  
Victricem latronum capessit crucem,  
Sceptri defectum eo compensat ,

Quo DEVS omnes mortalium defectus complanavit :

Exacto primo Romanorum Imperatorum Iubileo ,

Quia primus ex Habsburgo-Austriacâ Domo

Novum erat incepturus ,

Voluit ab eo signo Regni sui capere auspicia ,

Quod in signum æterni Iubilei posuit

Rex sæculorum immortalis.

Verùm Dominationis Majestatem honore crucis vix auxerat Rudolphus,  
Cùm id approbatum adest repentè æther;  
Mittit nubem

Sivè aureo sivè argenteo fulgore coruscans,  
Quæ templi pinnaculo insideat  
In crucis latere se diducat  
Adspectabilis singulis,  
Donec à solidâ horâ in sanguinem versa deficeret.  
Delato ad Cæsarem portento, piè is exclamat:

**Si Dominus vitam prosperitatēq; mihi concesserit,  
Transmarinas partes adibo,  
Et Domino IESU sanguinem meum consecrabo.**

Quis Staurophilus Constantinus, aut Theodosius  
In tam ferventem pietatem exarsit?  
Sic ad amata tibi Imperia properas pientissime Cæsar,  
In Regno crucis Imperator novissime!  
Præeat te signum ad Iudicia Iustitiæ tuæ procedentem,  
Quod commune habes cum Iudice DEO.  
Apprehende hanc ægidem,  
Austriacis pingitur coloribus, rubro & albo:  
Sic tibi militat æthær!  
Sic te armat DEVS, sic amat!  
Hinc (quæ imperandi fors est)  
Ad novas cruces vocatur imperterritus Cæsar:  
Pseudo-Fridericus quispiam  
Passim imposuerat etiam potentibus,  
Divisurus rursus in factiones Germaniam,  
Nisi in tempore à Cæsare prehensus  
Perque ignem examinatus, pessimè substitisset.  
Majores, qui sequuntur labores.  
Germania interregni tempore facta Augiæ stabulum,  
Id est latronum commune latibulum,  
Herculem nempè desideravit Germanicum,  
Adfuit fideli operâ etiam citra mercedem Rudolphus,  
Et circa solam Erfordiam plus septuaginta Cacorum castris dirutis  
Nec non incredibili velocitate & felicitate  
Ab Alpibus ad mare Balthicum  
Summâ securitatē procuratâ,  
Plus uno hoc labore profecit,

Quàm

Quàm Hercules duodenis.

Festivum, quod sequitur & propè Scenicum.

Ottocar Bohemorum Rex Sacramentum dicere detrectat Cæsari.

Defertur ad tribunal Martis controversia,

Condemnatur Bohemus conviçtus armis Cæsarianis:

Sed, quæ superborum contumacia est,

Nolentium videri, quod sunt:

Privatâ adgeniculatione supplex fieri sustinet.

Vix inchoato juramento panditur siparium:

Immutatâ tamen scenâ,

Agnoscutur ab utroque exercitu personam agens Rex, quam debuit.

Nullum amphitheatrum felicius dedit conviçtam arrogantiam.

Catastrophe hæc Cæsarianis in plausum finitur,

Bohemis in furias,

Ventos, flammâsq; velut alternante folle

Ottocaro inspiravit Vxor Cunegundis:

Reditur in campum;

Vbi aliquid supra Davidem ausus est Cæsar.

Laborante siti Exercitu

Quidam Siceram colono eripit, Cæsari propinat.

Sed hic mansuetè, ut solebat ait:

Reddite homini Amphoram,

Non mihi, sed exercitui sitiebam.

Refecit hæc sitis tolerantia in capite

Totum militis corpus.

Sic recreato animo in hostem proceditur,

Præfertur non Aquila, sed crucis labarum,

Cuius honori post Victoriâ templum destinat,

Sanctissimum Imperatoris iusiurandum.

Sic fortiter stat in acie Rudolphus, quia in cruce,

Sed uno duntaxat pede:

Vt & alterum benè figeret

Confugit ad PALMAM VICTORIOSAM MARIAM.

Nihil Sybariticum hic expectate,

Præluditur conflictui cantu,

Sed de laudibus DEI paræ.

Dicite potius: Io Pæan! illi prælio, in quo

Tessera Christus est classicum Maria.

Concurritur igitur acerrimâ dimicatione.  
 Herbotus quispiam totâ acie Cæsarem ad cædem quærit,  
 Sed versa etiam hic Martis alea est:  
 Ipse enim à Cæsare cæsus, secum quidem in fatum rapit  
     Equum Cæsaris,  
     Sed innoxie effuso infessore,  
     Divini hoc opus erat consilij,  
     Ut post donatum DEO equum,  
     Nullus fraudi esset Rudolpho.  
 Qui dejectus equo, profundius deicit seipsum,  
     Supplex ingenua provolutus  
 Victoriâ rogat à DEO, fortitudinem à milite,  
     Moyses ipse simul, & Iosue:  
 Totam adversi belli molem, vel pedes fortissimè sustinet,  
     Miles ipse simul, & Imperator.  
     Sic à Duce animati  
 Ita quisque miles esse contendit,  
     ut fuso prorsus hoste  
 Quatuordecim millibus cæsorum latè campos instraverit:  
     Quatuordecim prælijs Victor,  
     Atque ideò

### Victoriosus Rudolphus.

Octoar ipse octodecim vulneribus superbam animam efflavit.  
 Ita ense, id est Alexandri Magni novaculâ attonsus est,  
     Qui dum Rudolphus Cæsar diceretur,  
     Præ indignatione barbam sibi evulsit.  
 Sic perijt primus Austriacæ gloriæ hostis,  
     Sic perierunt postmodum complures,  
     Sic peribunt, si invidi esse pergant, &c.  
 Reliqua RVDOLPHI acta proficua fuerunt  
     Pacandæ Italiæ,  
     Purgandæ Germaniæ,  
     Stabiliendæ filio Austriæ  
     Fæcundandæ Principibus Europæ,  
     Quo nomine  
     Univerfa ei Europa  
 Tanquam Cæsari verè EVCHARISTICO,  
     Perennæ laudum & gratiarum debet  
 EVCHARISTICVM  
     CARMEN





*Illic, Herculeo, quâ formidabilis astro  
Ardet Atlantis apex, & debellata ferorum  
Arma, triumphator posito Tirinthius arcu  
Ostentat superis, residesque inflamat in auro  
Exuvias: meritas illic fabricate coloni  
Cœlicolæ pro Rege domos; stat iudice cœlo  
Hic arces Rudolphe tuas, & eburna locare  
Pergama (tolle moras) ubi Martia signa cruenti  
Herculis anguiferas etiamnum ardentia pugnas,  
Igne Hyperionio accensum, majore sereno  
Illustrant, rapiuntq; diem, non degener illic  
Sidereos inter Proceres tibi fige superbum  
Culmen, & æternam sparsura palatia flammam.  
Et seu Pegaseo jam te generosior illic  
Regnantem portat sonipes, ubi fonte perenni  
Æternum Domino spumat vindemia nectar:  
Sive sub apricâ gelidæ Libanotidos umbrâ  
Inclinans regale latus, cœlestibus aurem  
Advertis modulis: at non mortale tuorum  
Sperne melos, jussasque tibi Dux inclite grates  
Per sanctum resonare nemus, vallemq; iocosam  
Elysij nemoris: Nam quod Mavortia Reges  
Austria Teutonico Dominos accommodet Orbi  
Augusto jam plena die; quod nominis almi  
Sacra Majestate tumens, super ardua terrarum  
Astrorumque super volucris regaliter ala  
Se levet, atq; Aquilis evecta jugalibus, ipsas  
Extollat solium formosi Aquilonis ad arces;  
Tu ducis trabeas, rutilantibus aspera gemmis  
Sceptra tuas subière manus, primumq; coronæ  
Purpureum petière Ducem; scit Dardana tellus,*


*Qua-*

Qualiter excelsi Cæsar fastigia mundi  
Scanderis, imperij Latias servare secures  
Impiger, & partos tutari sanguine fasces.  
Credimus? an tumidas plusquam regaliter iras  
Exacuens, certumq; nefas, in prælia fervens  
Ottocarus, Rudolphe tuæ Virtutis honestas  
Eloquitur furias, & non superabile bellum?  
Ille vel armatas ferro septemplice turres  
Rumpere, & obstantem solitus convellere rupem  
Marte fero, cui solus amor, cordisque recentes  
Deliciæ stimulare tubas, campiq; cruentâ  
Tempestate frui: victricia Cæsaris arma  
Non tulit: ut torvum imbelli mucrone Leonem  
Si quis & armatos irritet Tigridis ungues  
Hyrcana de gente puer; sic ille Scytharum,  
Ille tremor Germane tuus, quem & Gymnade Pallas,  
Et prope collata timuisset cuspide Mavors,  
Quamvis Pannonio tepesactum sanguine ferrum  
Sæpius extulerit, confidentemq; feroci  
Hunnum cornipedi, præ se victricibus armis  
Egerit, ut timidus quando de monte capellas  
Pastor agit: postquam arma viri ad cælestia ventum est,  
Et verus medio conspectus in agmine Cæsar;  
Extimuit, velletque levi, nî fata vetarent,  
Terga fugæ: nè castra tamen, Martemq; puderet  
Ottocari, magno si non confligeret hosti;  
Erumpit turmalè furens: cumquè acer in armis  
Staret adhuc, patrioque viam sibi sterneret ense;  
Obvius instanti fatalem conijcis hastam  
In iugulum, fusoque vides super arma cruore  
Indignantem animam, nec adhuc venientibus umbris

*Mansuetam, tristemque jubes spectare Bohemum  
 Victor, & ad dominas humilem procumbere plantas.  
 O nimium dilecte DEO! tantumne rebellis  
 Hercynius tristes iussus mordere lupatos  
 Cæsaris? an maior Rudolpho paruit hostis?  
 Scilicet ô felix rerum tutela, salusq̄,  
 Te veniente, omni discors Germania Rheno  
 Intremuit, trepidaq̄ suos formidine montes  
 Concuti, & arrectas sensit configere turres  
 Augustum confessa Ducem, posuitq̄ repente  
 Discordes furias & quæ Cyclopea primum  
 Tela manu vibrante tulit, jam blandior iras  
 Mollit, atque hilari frontem redimita sereno,  
 Quò prius Austriacas solita est arcere sagittas,  
 Inflexit chypeum, Regemq̄ excepit, & alta  
 Elatum cervice ferens, comitantibus armis  
 Imposuit campestre melos, Patremque vocari  
 Iussit, & alternos hæc reddere carmina montes.  
 Quòd non sanguineo gradiens discordia ferro  
 Exerat infestos jugulis civilibus arcus  
 In nostram jurata necem, quòd dedita Divis  
 Austria, nubiferis jam celsior Alpibus, infert  
 Sideribus consine caput, quòd regia Cæsar  
 Austrius armisonum dispenset jura per orbem;  
 Dicite Laurigeræ posuit primordia sortis  
 Rudolphus: Latias illo moderante secures  
 Sic domiti cecidèrè Duces, sic vincula Martis  
 Exiit assertum tenebroso è carcere vulgus,  
 Ut pariter nitidus iuveni revirescat in ævo  
 Formosæ virtutis honos, nec languida letho  
 Marcescat pietas: vitijsq̄ à stirpe recisis*

*Oppressæ redeant meliora ad limina leges.  
Non illum populis, non vulgo iusta petenti  
Privati tenuère lares, sanctumvè tribunal  
Implorans afflictæ Themis, penetralibus inis  
Abditum, & ensiferæ cinctum mucrone coronæ  
Quæsiit, augusti nimum patuère penates,  
Insueti perferre nefas: his artibus ille  
Inscendit solium, quibus & circumvolat Orbem  
Romanis Aquilis, sedet, æternumq; sedebit  
Posthumus Austriaco veniens de sanguine  
Cæsar.*





Faint, illegible text or markings, possibly bleed-through from the reverse side of the page, located below the circular stamp.



CORONÆ  
DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Secundus,

S I V E

ALBERTI I.  
TRIVMPHATORIS  
Elogium.

HISTORIA.

Eodem jure, quo Victórias sequuntur Triumphi,  
Victoriosum sequitur Triumphator

RUDOLPHUM ALBERTUS.

Primi Imperatoris Austriaci Primus Filius.

Austriæ Archiducum primus Parens,

Vnum sequitur ut multos præeat.

Magno Austriacæ fæcunditatis augurio

Quæ primo in partu Parentem peperit,

Vt unius filij gesta essent omnium Nepotum

HISTORIA.

Novum Austriacorum Archiducum Alphabetum.

A primâ Alphabeti littera auspiciatus est,

Quam, ut in capite nominis sui circumferat dignè,

Binis à LINEIS mutuavit

Habsburgicâ & Hohenburgicâ,

Quibus ipse transversalis LINEA superinducta est,

Quando primus huius deficientis , illius novo splendore orientis  
 Extrema coniunxit in ANGLVLM.  
 Vel ideo dicendus AVGVSTISSIMÆ DOMVS  
 AVSTRIACÆ LAPIS ANGLVLARIS.  
 Hunc lapidem antemurale sibi esse voluit in Bohemico prælio  
 Rudolphus ,  
 Atque ut firmum esset ,  
 SIGNO SANCTÆ CRVCIS munivit.  
 Iussitque inter signa Austriæ , & Imperij hoc sibi signum à Filio præferri:  
 Ut vindicaret imperia eodem ritu , quo acceperat ,  
 DEVM sequendo.  
 Primum Sacramentum sceptri loco ad Crucem acceperat  
 Hinc cum ad debitum Cæsari Sacramentum reluctantem conaretur  
 adducere ,  
 Crucem ad manum habere voluit.  
 Tam sibi amatam , quàm amatus Filius ,  
 Cui credidit quod habuit optimum.  
 Non satis Christianus erat Ottocar , cùm ad hoc signum iurare noluit.  
 Hinc funestâ suorum clade sustinere priùs debuit  
 Baptismum sanguinis.  
 Patrinum priùs veneratus , quàm Cæsarem.  
 Meretur singularis Alberti in crucem pietas singulari  
 idiomate celebrari.

## ΑΛΒΕΡΤΟΣ ΠΡΩΤΟΣ ΘΡΙΑΜΒΕΥΤΗΣ.

Ἐπὶ τὸν Ἰ Νικητικωτάτου γονέου θρόνον  
 ἔδεις ἀμεινον ,  
 ἢ Θελαμβευτῆς ὁ ἦδς  
 ἀναβαίνει.  
 Πρῶτου τῆς Αυσρίας Αρχηγέμων  
 μετὰ τῶν πολέμων ταῖς νίκαις  
 μετὰ τῶν νικῶν τοῖς Θελάμβουσι  
 γεγονώς,  
 ἐθμελιώθεισαν ἀπὸ τοῦ μεγάλου γονέου Αυσριακὴν τὴν Αρχὴν  
 ἐξανήλθεντων δωδέκα πολέμων,  
 δωδεκάκις νικητῆς. Ἐ Θελαμβευτῆς,  
 θέσωσθε.  
 τὴν βάρμην ἐπὶ τοῦ σταυροῦ  
 τῆς τῶν βασιλειῶν εἰσσεως  
 ἐθαμειθεῖς  
 τὴν Αυσριακὴν πάντα τῶν ἰσθμῶν.



πὰς ἑαυτῆ νίκας  
 Διὸ τῆς εὐσεβείας αἰεὶ ἤρχετο.  
 οὕτω γὰρ  
 ἐν Βοημικῇ εἰς τὸν Οπποκαρόν μάχη,  
 τῇ μὲν λαίᾳ τὴν τῆ ἑσαυρωθέντῳ Χελισῆ εἰκόνα,  
 τῇ δὲ δεξιᾷ χειρὶ τὸ πολεμικὸν τὸ ξίφος  
 εἰς ἐχθρὸν σπάσας,  
 ζηλήμονι τῇ δὲ μεγάλῃ Κονσταντίνῃ εὐδαιμονίᾳ  
 ἐν ταύτῃ σημάϊα ἐνίκησε  
 εὐσεβῆς ὁ ἦος,

εὐσεβῆς ὁ γονεὺς ὁ ΡΟΥΔΟΛΦΟΣ  
 Ἀντὶ τῆ σκήπτρα χηρασίμεντῳ  
 Αυστριακὴν τὴν ἀρχὴν κατίσαστο.  
 οὕτω δηλαδὴ  
 τοῦτο μέγα κ' αἰώνιον τὸ τῆς Αυστριακῆς ἀρχῆς ἑάρετῳ  
 μόνῳ χεδὸν τῆ τσαυροῦ,  
 τῆτὸ εἶσι  
 τῷ τῆς εὐσεβείας ὑποθέματι  
 βεβαιούται.

Albertus igitur crucem ferendo manum assuefecit ad sceptrā,  
 Dicitur Vicarius Imperij simul, & Archidux Austriae;  
 Illud Parenti, hanc sibi gubernavit  
 tamdiu feliciter,  
 Quam diu regi se credebant populi ab Alberto,  
 Quod maximo suo periculo periclitantes  
 Non prius deprehenderunt, quam ipsi in facinore deprehenderentur;  
 Conclufi enim ab eo quem excluserunt,  
 Senferunt, quem audire noluerunt.  
 Et vbi primum ultor factus est, qui Altor erat,  
 Fame laborare coeperunt:  
 Usq; adeo jam tunc comunis suorum annona facti sunt, quoru Imperium  
 coepit à P A N E  
 Cum igitur uno è pectore, in id Vienna conspiraret,  
 Vt animam suam expiraret,  
 Brevi ad agonem deducta est  
 moritura;  
 Nisi Albertus Austriam suam maluisset habere corpus,  
 Quam cadaver.  
 Effusa namque Vienna supplicem stitit se Alberto,  
 Certa de veniâ, quam ab eo precabatur, qui  
 Non tam perfidis, quam perfidiâ irascebatur,  
 Et satis habebat supplicij in pœnitentiâ  
 modò sincera esset.  
 Ne proinde fucum in eâ suspicaretur Albertus,

Frontem & pedes denudarunt !  
Nondum tamen Alberto erat satis nuda veritas ;  
Quia vitæ alimoniam mortis pabulum sensit.  
Ne enim viveret Princeps, cuius beneficio vivebant indigni vitâ,  
Venenum epulis miscent :  
His accubuit Albertus, ut occumberet,  
Nisi nullum eis ferculū noceret, quibus unum ferculum tantum profuit.  
Mira res :

Qui nunquam vixit, ut ederet, hic ne quidem edit, ut viveret.  
Felicissimus planè futurus,  
Si convivas habuisset quos habuit obsonatores:  
Quamquam anguibus venena non nocent.  
Non debebat quidem ullius manu cadere Albertus,  
Nulla tamen minus, quàm suâ :  
Ne ipsa scelestâ fieret, quòd innocentem occidisset,  
Qualem fuisse Albertum, vel inde intelligas,  
Quòd vix ingestum virus præcordia senserint,  
Ut quæ nihil illi simile continerent.  
Atque ideò unâ viâ ingressum toxicum, triplici viâ egreditur,  
Tanquam in statu esset violento,  
Quamdiu erat in Alberto.  
Centrum sibi quæsiturum in ijs, qui propinarunt,  
Ad illos deproperat.  
Nec satis uno in ore viâ inveniens  
Naribus, auribus, oculis erupit.  
Tot vijs quot sensibus !

Quàm prope tunc erat, ut uno in morsu Mors ingrederetur in Albertum,  
Quæ pridem uno in morsu erat ingressa in Mundum.  
Jam scio, quid in Alberti manibus negotij habeat gestata Crux :  
Venenosus illa morsus curat.  
Nihil proinde Venenum in Alberto læsit, præter  
Oculum & colorem,  
Et per omnem vitam Albertum fecit Monoculum & pallidum,  
relinquens cæcæ & pallidæ mortis reliquias,  
Ut quisque tanti facinoris reus in vultu Principis legeret  
Quid mereretur,  
Timeretq; semper, ne relicto Principe alter oculorum peregrinus  
Dum perfidiam scrutatur, etiam in se incidat.  
Vter oculorum amissus sit, non recitant Fasti,  
si Dexter fuit,

Ex eâ die non nisi sinistro oculo aspicere potuit Parricidas :  
    si sinister fuit,  
Primus omnium Albertus cum hostibus suis egit Austriacè,  
    Quos ex ea die *ne sinistro quidem oculo* aspexit.  
Quanquam quid inimicos voco, qui beneficium Alberto fecerunt,  
    Cùm fenestram clauerunt per quam mors ingreditur.  
Vestrum vobis ipsis consilium pessimum est, qui patraistis:  
Si enim justissimæ iræ fulmina in vos eiaculabitur Albertus,  
    Certius vos tanget altero oculorum clauso.  
Ipse interim fatis videbit , quando à multis videbitur  
    Diei factus iam similior ,  
    Qui tantum uno oculo multos videat,  
    Cùm multi oculi tantum videant unum.  
Sed unus sine multis , multi non sine uno.  
Vna in unius pulcherrimi syderis occasu iactura est.  
Alias mortes Principum prænunciare solent novorum syderum ortus.  
Hic mortem Cæsaris prænunciavit novi syderis occasus.  
Eodem tempore, quo Albertus videre , Rudolphus vivere desijt,  
    Illi pars vitæ optima , huic tota vita perijt :  
    Vnum ille , alter utrumq; oculum clausit.  
Vel proprio è vultu impendit paterno funeri facè Filius pius.  
Quanquam, quid oculi tunc profunt Austriacis, quando Sol occumbit,  
    Austria?  
Quod Solis occasus in Cælo, hoc mors Rudolphi in Alberto relinquit:  
    Noctem.  
Atque, ut de hoc nihil dubites, stella iam in cælo apparet Austriacò,  
    Nova soboles Alberto nascitur,  
    Ita rapinam suam Fortuna exsoluit.  
    Vnum sydus eripit, alterum reddit.  
Nova stella reges olim ad novi Regis regiam deduxit,  
    Ne dubita Alberte, iam es in viâ ad Coronam;  
    Iam enim vidimus stellam tuam in oriente.  
    Et planè sic factum est,  
Cùm successorem sibi Albertum Rudolphus destinat , moritur ,  
    Tanquam vivere vellet in filio ,  
Et cùm efficacem hanc voluntatem DEVS haberet, voluit esse ultimam  
Nihil quod imperio legaret pretiosius invenit Rudolphus moriens  
    Quàm vivum Albertum :  
Nec melius mortuo illud parentare potuit Rudolpho ,  
    Quàm filium accipiendo in Parentem.

Ne tamen tumultuario opere res ista fieret,  
Tempore eguit, uti solent quæ sunt optima.  
Adolpho primum corona delata est & purpura:  
Quæ cum non à Rudolphi sanguine ruberet.  
Translata est in Albertum.

Ne tantum in uno colore videretur Austriacus,  
Vetus rapina restituta est  
Et pallido additus rubor.

Prius Alberto se debebat Imperium, quam Imperio se deberet Albertus,  
Ad imperandum rogari debuit,  
Ut in ipsâ coronâ plus beneficij daret, quam acciperet,  
DEI ritu,

Cui munus dare potuisse, novum munus est.  
Tam procul ab Imperij metâ distabat Albertus, quam procul Adolphus  
à Morte,

Cumque ad æquipondium suspendisset utrumque Iustitia,  
Non poterat alter surgere, quin alter caderet.  
Durissimus plane lapsus est Imperio excidere.

Hinc ut casus ille fieret mollior, fortuna eum fieri voluit in  
Valle rosarum.

Et ubi melius lis fieret de purpurâ, quam inter rosas?  
Vbi certius auspicaretur iter ad montem gloriæ Albertus? quam à valle?  
Neque alius decebat eos locus, qui descendebant in arenam.

Pugnaturi multorum manu & una, suorum & suâ,  
Cum in validissimo quisque exercitu manum suam,  
Et validissimum quisque exercitum haberet in manu suâ.

Quam augustum illud hastiludium fuit,  
Vbi *annulus corona, annuli gemma erat pomum imperiale.*

Hoc è veteri suâ arbore decuti non poterat,  
sine ictu tam valido,

Vt ipsam planè illius arborem sterneret  
Adolphum,

Arbori simillimum vel ideò,

Quòd suo ipse ex imperio sibi fecerit umbram Mortis,  
Maximè quando primo ictu Albertus ei diem eripuit, cum  
oculum eruit

Vt diem clausurus ab oculo inciperet.

Quod toto orbe natura distinxit in unam Albertus vallem coegit

*Solem Orientem & Occidentem.*

Et quis non tunc felicissimo Alberto *Bonam Diem?*

Quis

Quis non infelicissimo Adolpho precaretur *Bonam Noctem*?  
Quæ ad cæteram infelicitatem illud insuper infortunij habuit,  
Quòd cum in alijs noctibus lampades accendi soleant,  
In ipsâ unâ lampas extincta sit.

Et miraris adhuc in tam altâ nocte Adolphum cecidisse?  
Ego verò nihil miror.

Victum Adolphum, cum Victori Alberto herbam porrigere vellet,  
eam in terrâ quærere;  
Neque enim iam etiam vt olim

Imperium summum Romæ habebit,  
Qui primus vestrum, ô Cæsares! osculum Matri  
tulerit.

Ex quo Austriacorum imperia originem habent è cælo,  
Eorumq; *LEO* Habsburgicus *cæruleâ* fulget *Coronâ*,  
Nihil in ea juris tellus habet.

Quanquam & ipsa regi malit ab Alberto,  
Qui imperia non eripit, sed accipit:  
Nec ferè aliud agit, quàm quòd viam sibi sternat,  
Per quam aliorum manibus deducatur,  
Ne unquam nolentibus imperet.  
Alios ille trahit, ut ab alijs trahatur  
Magnes Regnorum.

In Serenissimo maximè Germaniæ Septemviratu,  
Cum omnium in se suffragium attrahit,  
Qui maximus ipse sibi erat suffragium.

Salutatur ergo communi voce Neo-Imperator Albertus,  
Atque si imperialis Aquila vocalis esset, omnium una loco diceret

Ave Cæsar Victor Imperator.

Planè Cæsar

Dicitus à cædendo, postquam duodecies hostem cæcidit.

Huic ergo novum dicat Musa

Pæana.



*Verum est, credite Posteris:*  
*Isto non alius fortior (alite*  
*Seu fumantia, Pegasi*  
*Plantâ protereret belliger æquora,*

Seu nudo premeret pede )  
 Natis in jugulum ludere spiculis,  
 Et pulchræ impavidam neci  
 Objectare animam, perquè natantium in  
 Cædis purpureo mari  
 Turmas (dum calidus Mars furit) hostium,  
 Certi vulneris arbitram  
 Exercere manum, quam neq; Scevolæ  
 Exæquet mucro perfidus ;  
 Quàmvis hastiferæ grandinis aliger  
 Densò depluat agmine  
 Turbo, nec volucrem penè volantium  
 Sylvam perferat ensium  
 Fatalis chypei margo, sed aureum  
 Fulgentis galeæ jubar  
 Torvam missilium non minùs imbrium  
 Nubem vertice nobili  
 Ad sævi invidiam sustineat Patris,  
 Cui fontis lituo tubæ  
 Permisti fremitus, sanguineis placent  
 Cui tinctæ lacrymis dapes.  
 O Lux ! belligeræ Mars Alemanniæ  
 O Alberte ! nec Hectoris,  
 Ferro Dardanidæ, nec Cythereij  
 Durà Anchisiadæ manu,  
 Non Pyrrho Danaùm, non Phrygio minor  
 Bellator Telamonide.  
 Quot lucis rosæ purpureus Pater  
 Titan, signa frementibus  
 Lustrat quadrijugis, tot tibi ferreâ

Rumpenti cuneos manu ,  
     Ac instar trifidi , ( qui geminam cadens  
 Dat stragem , & dubius furit  
     In regna & populos ) turbinis , hostium  
 Cum vasti fremitu ætheris ,  
     Avellenti animas , tot tibi Martij  
 Victori Domino æquoris  
     Inscripsit galeis & clypeis super  
 Mavors signa , tot ardua  
     Tangentem meritis sydera verticem  
 Victor bellipotentibus  
     Turмали fremitu cinxit adoreis .  
 Illo iudice debuit  
     Bellatricem animam , nec meritam mori ,  
 Formosi super ætheris  
     Structas sydereæ Iaspide Porticus  
 Vel Titbanis eburneus ,  
     Vel Phœbæ ignipotens ducere cornipes ,  
 Vel qui Leucothoën vehit ,  
     Iam tum , sanguineâ cum trepidus nihil  
 In Scenâ , inter abeneos  
     Armorum proceres , jam rigidum trucidis  
 Vultum indutus Achillei ,  
     Non unam oppositi Teutonis asperâ  
 Trojam dirueres manu ;  
     Iam campi patulâ miles in areâ  
 Pellæo juveni pares  
     Sectatus furias , omnia prælio  
 ( Utcunquè obstitit æmula  
     Pugnantum rabies ) vindice sterneret ;

*Dum victoria candidis*  
*Prætervecta rotis, panderet Austrio*  
*Dignam Cæsare lauream.*  
*Ergo terrigenæ Patris amabilem*  
*Quàmvis destituas domum,*  
*Ereptus famulæ Martius Austriæ*  
*Cæsar; sed tamen aurei*  
*Nequaquam Ebsij jungeris indecens*  
*Sanctis Advena Manibus.*  
*Te plorat liquido defluus alveo*  
*Ister nobilium satur,*  
*Et prægnans calidis fletibus annum.*  
*Sed nos nectareæ Spei*  
*Perfundit medico fonte salutifer*  
**FERNANDVS** Patriæ Pater,  
*Quem Quartum patrij nominis asseret*  
*Hæredem Austria nobilis.*  
*Huic pulcher decimo fœnore creditas*  
*Mavors reddet adoreas.*  
*Æternus Superùm hic statuit Pater.*

Ita ex Alberto ominor **FERDINANDO**  
 non nisi aurea sæcula!  
 Postquam ad novi sæculi auspiciū, ferreum clausit, aureum incæpit  
 sæculum Albertus.

Factus ex milite Imperator tanto omnium Iubilo:  
 Ut vel inde duplici titulo aſus ille dici posset  
**Iubilæus.**

Nisi Extrema gaudij occupasset luctus;  
 Alberto Saxonix Duce concurrentis turbæ mole oppresso.

Hic Si aquæ multæ populi multi  
 verè  
 Intraverunt aquæ usquè ad animam.  
 Novam in orbis teatro personam acturus Imperator,

Tam



Tam copiosum habuit spectatorem, ut theatrum omnes non caperet :  
Hinc uni excedendum erat.

Ita plerumquè fit :

Scenam unus aperit, alter claudit, & omnes non nisi per intervalla  
actores sumus.

Vna dies Vni nomini Vitalis, & fatalis fuit,  
Vnum imperio intulit, unum *extulit* Albertum.

Hic verè iam Alter in alterius vitâ VIXIT.

Et tametsi alter in alterius morte non sit mortuus,  
Didicit tamen se moriturum.

Vnâ hac eximius prærogativâ,  
Quòd eam didicerit doctrinam sine timore,  
Quam nemo exercet sine dolore.

Neq; enim mortè timuit qui fovit, & toties ante oculos habuit, quoties  
Nepotem suum aspexit Ioannem,

Quem à Rudolphi fratris Morte accepit in filium,  
Sed Matrisantem, ut pote Nepotem Ottocari.

Bis senis annis opus habuit ut vitam ei conservaret,  
A quo ipse fuerat amissurus.

Fecit ille hunc sibi, si nullâ aliâ lege fuisset, vel proprio à sanguine  
**Consanguineum.**

Accepitquè in tutelam, à quo ipse tutus non erat.

Quid non facit libido regnandi!

Vt Princeps fieret, Parricida factus est Ioannes.

Plerumquè ante ætatem sapere, est infania!

Cadit itaque à puero, à quo tot virorum millia ceciderunt.  
scis quomodo?

In frænum Parentis irruit, quod dudum ferre non potuit  
*Effrenis* iuvenis,

Alij equo insidentè triplici vulnere in capite collo & latere conficiunt.  
confectum inter gramina deponunt.

Quanta tunc *Cedrus* erat inter *Myricas*!

Sed Cedros etiam ut gramina mors metit.

Flumen transiverat Albertus,

Et vel in ipso *portu* fecit vitæ *naufragium* : Vel in vitæ *naufragio*  
*portum* invenit.

Vix balneo egressus, novum balneum ingressus est  
sanguinis sui.

Conjugem invisere destinans, magnos Avos invisere iussus est.

Patrum ingressus viam eo die, quo Pater Alberti natus est.

In tumulum denique collectus,  
Vix uno palmo ab Adolpho sepelitur, à quo toto pectore dissidebat vivus.  
Cujus sacris cineribus sacra lingua parentet.

אלברתש א שרי

אהב שפתיים מאן ורצתי

מוקלתי בחדולך רשתי

מיגבר לחרוהך גרתי מתי:

Parricidale facinus vindicavit Numen.

Joannes, cum unam Vitam Cæsari eripuisset, quatuor vitas egit,  
ne unam ageret suam,  
Factus è Principe mendicus primò, mox colonus, mercator etiam, deniq;  
Cœnobium ingressus serò, & serò pœnituit maturè nimis suscepta  
consilia.

Conjuratorum unus ad belluina pascua justè damnatus.

Quam inter homines perdidit, inter Bruta jussus est discere  
Humanitatem.

Sed ubi discet humanitatem, qui eam inter Austriacos frustra didicit ?

Quemvis impunè lædunt Austriaci;

Quia semper fontes lædunt.

Nemo impunè lædit Austriacos;

Quia semper infontes lædit.

Cum illi vulnera faciunt, sanant.

Cum patiuntur, vulnerant.

Itaque

Discite Iustitiam moniti, & non lædere Divos,

olim Albertos,

Nunc

F E R D I N A N D O S.







CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM

Radius Tertius,

S I V E

FRIDERICI I.  
P V L C H R I

Elogium.

E F F I G I E S.

Speſtator liſte gradum.

Et hos vultus primùm mirare, dein reverere, ac demum etiam ama.

Agnofcis ?

Friderici Tertij hæc pulchra effigies eſt.

Fuit is Rudolpho Victorioſo, Alberto primo Triumphatori in Imperio

Successor,

Quod fatum miſcet res & nomina ? ita cohærent.

Triumphanti Alberto, & adhuc Laureato Fridericus ſuccedit in oleâ.

Felicitasne hæc pompam adornaverit ? an Natura ?

An Fortuna ?

Quæ, quia Auſtriacis favere inceperit, levitatem ſuam dedoſta

Ne deſipere poſſet amplius

Radicem fixit in SYMBOLO PACIS:

Et pro auctario felicitatis Auſtriacæ ſuæ Sacramento conſtantia

Alberto Victoriarum Principi, ſubrogavit Pacis divitem

Fridericum:

Nam Firmamenta Regnorum ſunt Victoria, & Pax.

Natura pulchrum, Virtus & probum & fortem facit,

Vtraque Imperatorem.

Vt Neſciam, an majore Naturæ miraculo factum ſit,

Vt

Vt fortis pulcher esset :  
 ( Adeò rarus natus est ad arma Paris. )  
 An vero Virtutis  
 Quæ maximè dissita ita conjunxit.  
 Vt cum bina videri possint , unum miraculum sint.  
 Disce quisquis nimius Philosoph<sup>9</sup> pulchritudinem imbellem criminaris,  
 Ex quo cum Austriacis nascitur , Austria facta  
 Fortis est  
 Et quæ aliàs fortasse Minerva tantùm fuit inuentrix oleæ,  
 Iam Pallas esse didicit inventrix Hastæ ,  
 Martis & Filia & Mater.  
 Ita quidquid in illâ jam Natura formavit.  
 Acies est,  
 Et tam pugnax illi ingenium est,  
 Vt quod bellum est, illi maximè bellum sit,  
 Etiam in altissimâ Pace.  
 Binas ex Elisabethâ Arragoniæ Regis Filiâ Filias genuit,  
 Quarum prior Anna Regi Poloniæ nuptui tradita ,  
 Cùm sydus fixum esset,  
 Ex Austriaco climate ad Austrum in ortum abijt  
 Vnâ cum Sole suo meridiem allatura  
 Quam quò serenissimam scias,  
 A Sole suo mutuata lumen non est, sed de suo auxit.  
 Altera Elisabetha Ioanni Regi Bohemiæ sponsa,  
 Antequam nuberet obijt.  
 Et cùm Lucina esse non posset, facta pene Europe est.  
 Nisi quòd hæc Tauro vecta, altera Leone,  
 Vt sydus splenderet fixiùs, ipsum planè cælum intravit.  
 Vnus illi filius natus, Fastis Anonymus est,  
 Vitium hoc ego non calamo imputo, sed fatis:  
 Quæ cùm tantum partum edidissent.  
 Vt adhuc infans, jam Gigas crederetur.  
 Hucusquè nec aptum nec dignum tantæ Virtuti nomen invenère.  
 Quantus fuerit hinc æstimato,  
 Quòd uno eoque puerili adhuc passu, iocanti dicerem :  
 Nisi res seria esset, vel patrare miracula, vel cælum inscendere:  
 Quòd uno inquam passu, ex utero Matris in cælum clausus  
 ipsas pene terras transcenderit,  
 Magno Alexandro hoc Major  
 Quòd huic unus quidem Orbis non suffecerit,

Ille verò quò alter etiam sufficeret, uno non ampliùs passu egerit.  
Sepultus tamen in campo Regum, modicam urnam implevit.

Pange Epitaphium calame.

Viator hic jacet. Quis?

Fata nominare non potuère,

Virtus vetuit,

Austriacus tamen fuit & Cæsarum sanguis.

Quantus sit rogas?

Tantus est, ut tu nec capias, nec ego exprimam.

Vtroque pede cœlum & terram complexus,

Non stetit quidem, sed hinc abiit, illuc ivit.

Metire si lubet: mensuram ne quære,

Vnus tanto Giganti passus suffecerit.

Sed vobiscum Cælites mihi res est.

Quare cousquè invidi nobis Mortalibus estis,

Vt eos quos similes vobis Divos, aut esse, aut futuros olim videtis,

Tam parcè inter Mortales patiamini?

Quantum ictum inflixeritis orbi, jam orbo

Et ex funere & ex luctu, æstimate.

Vno ictu tria patraistis funera,

Nam Austriæ Principem, Friderico Successorem, Imperatorem Imperio  
sustulistis,

Quartum addo

(adeòne vobis ferox in funera & vulnera dextra?

adeòne pertinax, dicamné crudelitas?)

Parenti etiam Filium.

Quis hæc uno in cadavere tam multiplicia funera

lacrymis satis expiet?

Centum annorum exequiæ Imperio toti vix suffecère,

Nam ex eo casu post additum Filio Parentem,

Phosphoro suo suum Solem.

Cùm oriri jam cœlo incæpissent, nobis occiderunt.

Eamque noctem intulère, quæ integro etiam sæculo diuturnior foret.

Centena orbitas! his enim annis opus erat, ut dignarentur Austriaci

In exule Imperio exules videri,

Qui à Rudolpho Habsburgico Domestici DEI

Cœlum domum suam & patriam didicère.

Centena inquam hæc orbitas exilium Imperio, non Austriacis fuit;

Nam hic in cœlum Patriam suam immigravit,

Cui uni & nascuntur & vivunt Austriaci.

Subitur Imperium hoc felicissimum quòd nulli ætati subest.  
 Ita Austriaci nunquam descendunt Solis naturæ æmuli,  
 Qui ipso suo etiam occasu oritur.  
 Sed quid profane calame funeribus obstrepis  
 Et pijsimos innocentissimosquè Manes  
 Quos quiescere oportet, lacessis?  
 Quin Virum mihi narras omni casui parem.  
 Quem sua felicitas etiam nolens commendaverit?

## ΟΥΤΟΣ ΓΑΡ ΕΣΤΙ ΦΡΙΔΕΡΕΙΚΟΣ ΤΡΙΤΟΣ

ΕΥΠΡΟΣΩΠΟΣ *βητός.*

*τούτ' ἐστίν,*

ΕΡΑΣΜΙΟΣ.

ΔΕΥΚΟΣ ἢ ΕΡΥΘΡΟΣ.

*τούτ' ἐστίν,*

ΑΥΣΤΡΙΑΚΟΣ.

*Συνόνυμα γὰρ ἐστίν,*

ΕΡΑΣΜΙΟΝ εἶναι Ἐ ΑΥΣΤΡΙΑΚΟΝ,

*ἀφ' οὗ*

*θαυμασία αὐτῆ τῆς μορφῆς ἢ πατρῶα οὐσία.*

*Ἀφ' οὗ Φριδερεϊκόν*

*ἐν τῷ τῆς Αυστριακῆς οἰκίας πρῆματι*

*ἀριθμῶδες ἤρχετο.*

*Εφόρε νῦν, ὅστις εἶ.*

Bene est Friderice !

Fortuna nisi te Virum nosset, & Fortem, nunquam aggressura fuisset,  
 aliàs

Quæ cùm totum Imperium uni Friderico duobus Imperijs digno rapere  
 non potuit,  
 Divisit.

Nescio quo rixarum ingenio duos Soles commentatura.

Vt inutilibus radijs nec alteruter splendeat,

Vtrumque coronet.

Anno ergo M. CCC. IX. Ludovicus Aquisgrani à Moguntino  
 & Trevirensi:

Fridericus Bonnæ à Coloniensi.

Hic à quo debuit, non ubi debuit;

Ille ubi, sed non à quo debuit,

Coronati sunt.

Nun-



Nunquam vel Cælo teste nova Phænomena, aut nata nunc primùm astra  
sine stellarum rixa sunt.

Citra vel portentum, vel turbinem non micantia:  
Et ego etsi duos Soles in cælo uno nunquam viderim,  
Semper tamen timui:

Nam dùm uterque sibi sceptrum vendicat,  
Et in minorum facum magnam rempublicam inferendæ lucis  
prærogativam ambiunt,  
Ambo plerumquè die excidunt, & *neuter micat, dum uterq; dimicat.*  
Vnoque (nam aliter fieri vix potest) cœlum furore implicant,  
Et tenebris tumulant.

Vbi enim de luce invidiosâ est quæstio,  
*Tenebrarum potestas est.*

Neutris tamen sui defuère, quibus foverentur.  
Quin dum utrique, utræque partes ambiciosius quàm utiliùs student,  
nulli studuère.

Et pendentibus inter dissidia calculis,  
Dum de duobus contendunt, nullum eligunt,  
Tanti pertinax in ambiciosissimâ rixâ, etiam in prudentiâ suffragij est.  
Ludovico Bavaro

Petrus Moguntinus, Balduinus Trevirensis, Ioannes Saxo:  
Waldemarum Brandeburgicus & Ioannes Bohemiæ Rex se addixit  
Friderico Austriaco.

Coloniensis, Henricus Carinthius, Adolphus alter ex Saxonum Ducibus  
& Rudolphus Boariæ Rex

Docturus exemplo, legitimo Principi plus tribuendum, quàm sanguini,  
Fidelior, quàm ambiciosior, hoc Friderici partes auxit amplius,  
Quòd quò Imperium debitum sibi Principem haberet, & suum  
Imperatori suo constaret Imperium,  
A Fratrem ad Imperatorem discesserit.

Hoc approbaturus Fridericum, quo Ludovicum improbat, etiam Fratrem,

Sanctissimâ fide accessit Romanæ Sedis suffragium:

Nam Ioannes XXII. DEI Vicarius, & Interpres,  
Velle DEVM Imperatorem Fridericum oraculo non calculo dixit,  
Quem ante inter iniqua Electorum studia, seu ambitio, seu invidia,  
Nativa imperantium vel comes, vel pedissequa,  
Et nimis ambiit, & nimis invidit periculosissimo in aulis nocendi genere.  
Sed ubi de Imperio disceptatur, suus cuique furor arbiter est.

Nec facilè pacato iudicio lis dirimitur, ubi de scepro quæ ritur

Tum vel maximè, cùm confusissimo Tribunali,  
*Ius est in armis, opprimit leges timor.*

Et iudex & actor idem est.

Adeo omni honori suum est periculum vix evitandum  
hoc nomine.

Quod à duobus peti possit, sed vix possideri:

Vt fatum propè regnorum sit,

Ad imperia per eorundem ruinam gradi,

Tanquam nulla dies sine occasu esse possit,

hoc est dispendio lucis.

Ad arma ergo recurritur:

Vt quod vero decidi non potuit, ferro recidatur.

Hinc Friderici Austriaci, hinc Bavari Ludovici

Minantia bello vexilla ludunt,

Unum lusura

Dubio indubio Marte;

Ubi enim duorum lusus est,

Quo dubia hoc indubia lucra unius sunt.

Vtrinque Imperiales Aquilæ attollunt fulmina.

Hoc infelices, quod seu vincant, seu vincantur, vinci necesse sit  
miserrimo genere prælij,

In quo multus timor de vulnere, spes nulla Victoriæ, cædes plurimæ,

Teterrima messis funerum, spica unica & fortassis tantum arista,

Arista multa, multa spes, spica nulla, nullus fructus.

Tertium ergo pugna initur eo impetu, eâ vi,

Quâ par est de Coronâ Romani Imperij, de negotio Romani Orbis

De diademate, quod non nisi unum aptum est coronare.

Ne inane fragmentum sit, si dividatur.

Duodecim horarum spatium conflictus æquavit,

Et vix suffecerunt tam arduo negotio

*Duodecim horæ in Die.*

Sed facilius Fridericus capitur, quam vincatur.

Et dolo cedit, cui nulla Virtus æquari potuit.

Nam, quem nec hostium acies, nec horrentes ferro manipuli impunè  
aggressi sunt.

Adversi solis radij & ejectus vento pulvis, tempestas denique  
non expugnavit, sed stitit.

Fortunæ hoc inventum putem,

Quæ metuit, si Fridericus vinceret, ne Ludovicus perderet.

Facilius itaque passa est,

Cùm

Cùm vinci Fridericus non posset, eundem capi,  
 Vt sua utrique constaret Victoria,  
 Quamquam feliciore eventu Austriaci,  
 Qui nihil sibi eripi passus est:  
 Quàm Bavari,  
 Qui eripere nec potuit aliquid.  
 Etsi hoc uno Fridericus infeliciter pugnasse videri possit,  
 Quòd aliquem admittere debuerit, quem sibi parem, cùm non fecerit  
 pateretur,  
 Et Atlante major qui multis orbibus ferendis par erat,  
 Vni Imperio sibi Herculem adjungi, quo non egebat.

פְּרִירֵיבֶשׁ אַ טוֹב :

וְשִׁבְרַת מוֹשֵׁר רַחֲמוֹתָיִם

בְּפֶלֶא שְׂרָרַת בְּחַיֵּי בְּשִׁבְטֵי:

Læsit tamen Fortuna Leopoldum, quæ fratrem non læserat.  
 Adeò consanguinei affectus, consanguineæ felicitatis proci sunt,  
 si sint synceri.

Totâ Vitâ suâ à capto Fratre Friderico nunquam risit.  
 Nunc Leopolde & Fratrem te agnosco & consanguineum,  
 sed ex vultu  
 minus noscerem si rideres.

Nam, quòd ille ad Fortunam suam non turbetur, constantis est  
 & fortis,

Talis etiam est etsi pulcher sit.  
 Quod perpetuo tibi risu interdixeris,  
 Tàm constantis est, quàm Fratris.

Et mirarer omnino doloris tui pertinaciam in alieno vulnere,  
 Nisi nossem Amicum semper bis lædi, in amico primùm, dein in se.

Vt si amicitia quædam metempsychosis est.

Bis captum te credam in Fratre, & in te.

Scilicet nullus amicus verus esse scit,

Qui in calamitate amici bis miseri, semel miser non fit.

Est enim hæc seu Fratris, seu amici natura,

Vt Pilades cùm sit, Orestem tamen se, & cupiat, & sentiat.

Sic



*Sc* Ille est amici, mutuus integri  
Amorq; concors pectoris, imperat,  
Potens Achillæo lacerto  
Sisyphiam superare victor,  
Vel ferre molem montis ad improbi  
Fatale culmen sit mihi sanguinis  
Confors paterni, quem fideli  
Per medias docet ire mortes  
Amore Virtus, & sibi comparis  
Caram salutem, poscere vindice  
Ab hoste ferro; qui severum  
Pondus, & innocuâ sedentem  
Cervice molem prodeat æmulâ  
Fulcire dextrâ, quodquod & alterum  
Propendet in caput, fideli  
Ferre iugum sociale nervo,  
O Vita felix! quam tria Numina,  
Nectent fideli fœdere Gratiæ,  
Materq; blanda filiarum  
Autônœ Charitum, modesto  
Tranquillitatis vinciet annulo.  
Quamvis redundet ferrea Thracij  
Arista Martis, perque campos  
Ogygij rediviva surgat  
Procella Cadmi, si modò candidâ  
Responset alter Pirithous fide;  
Imbelle ridebo tyranni  
Præsidium, famulumq; plantâ  
Victrice Martem fortior Hercule  
Calcabo Princeps. Quid mihi desidis  
Tutela parmæ? quid Pelasgi  
Sanguineus Telamonis umbo?

Periculosa subtrahet alea  
Me miles alter : scimus ut inclytum  
Te FRIDERICE, per cruentum  
Stragis iter, Bavaroque pictos  
Cruore montes, per juga Bojaro  
Rigata nimbo, quidlibet arduus  
Sperare, captivum citatis  
Quæsierit LEOPOLDVS armis.  
Fratérne (dixit) Cæsar inertibus  
Abdatur umbris, me lacrymabilem  
Spectante scenam? vel profano  
Ludibrium popolare cedat,  
Probrumque vulgo? fabula posthumo  
Canatur orbi? at non ita perditum  
Bellator orbis, non quieto  
Austriades patietur hosti  
Servire ferro. Stamus? an impiger,  
Nostrisq; tandem dignus ab ossibus  
Exurgit ultor? surge Mavors,  
Et resides LEOPOLDE coge  
In bella turmas : sanguinis exuit  
Sensum paterni, quem nihil admonet  
Fraterna strages, & fluentes  
Heu patrio Rubicone campi.  
Frustrà quieto pulvere sordeat  
Fraternus ensis, si manus improba  
Pugnare poscentis calentes  
Segnitie cicuravit iras.  
Movebo : nudum non prius induat  
Vagina ferrum, quàm mihi Bojarus  
Succumbat, & clarà receptus  
Rex sedeat FRIDERICUS arce.

*O dulce regnum! quod sibi mutuo  
Fraterna munit fœdere gratia!*

*Hac lege sinceri favoris  
Vna duos capit aula Reges.*

Habebit itaque in te Leopolde posteritas quod discat.  
Antiquitas quod etiam admiretur.  
Nomen tuum gloria militum est.

Ita Heroës dicimus, & quos unum vix sæculum prodit magnos animos.

Aliud addo non minus glorioso, quàm pio:

Leopoldus gloria militum, Germanus Friderici frater suo vel vultu teste

Hoc major,

Quòd non sit tam prærogativa sanguinis, quàm Virtutis:  
Extorsisti armis Fridericum,

Et unà Fratrem tibi Imperatorem Imperio reddidisti,  
Cujus augustissimos Manes accepit tumulus, quem ipse sibi  
construxerat

Mauerpatij:

Ac ibi sepultus quiescit sine interppellatore:  
sed

Adhuc pulcher, sine invidiâ,  
Adhuc fortis, sed sine hoste,  
Adhuc Imperator, sed sine æmulo.

Cujus vitam, quia perpetuum fuit miraculum

Quisquis legis meritò stupes,  
Et hæc præ cæteris

Quòd æmulum pãssus sit, quem nullus patitur,

Et ita imperãrit tanquam unus esset, qui duo fuerunt.,

Citra exemplum hoc est, in totã antiquitate non legendum.

Vno in imperio citra imperium duos imperasse,

Fama jam quod superest calami alis tuis adde,

Vt secum ferat in Orbem Nomen Friderici,

Sic vixit, ut dignus sit æternùm nominari,

Simul Solare imperium

Phœnicem Austriacum,

Nobis tam optato, quàm grato miraculo

Etiamnum vivere in

**F E R D I N A N D I S,**

vel sic annuente cœlo

non amplius moriturum.







CORONÆ  
DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Quartus,

S I V E

ALBERTI II.  
HONORIFICI  
Elogium.

MIRACVLVM.

Mirari te volo, quisquis hæc legis.

Miraris?

Agis quod volo, imò quod debes, si homo es.

Mirarer enim ego vel maximè, si tu non mirareris.

Et uni tibi fortè tam parum novi esset.

Quod orbis tantùm semel vidit.

Mirabilia mundi occubuerunt,

Imò nata sunt.

Cogita tu quis partus sit, quando Mirabilia mundi filium habent;  
Albertus is est.

Quintus Austriæ Archidux, secundus Romanorum Imperator;

Ex hoc nomine,

Parentem habuit ejusdem nominis Quartum dictum: Mirabilia Mundi.

Quid à tali parente nasci potuit, quàm Miraculum?

maximè cùm natus est in fine Vitæ,

Tanquam totâ Vitâ egerit, ut tantus parens, tantum partum ederet.

Fratrem nullum habuit.

Ne minus ipse miraculum esset, si sibi parem haberet.

Et ne degenerem à Parente Filium suspiceris, quidquid audies miraberis.

Puer erat, & Viros etiam inter se commisit bello non puerili.  
Postquam biennio tutorem habuit Wilhelmum Leopoldi probi Filium,  
â morum gratiâ Auilicum dictum.

Huius tandem morte illius vita primæ tutelæ exempta est.

Secundam tutelam cum bini Fratres ambirent.

Neuter Fratrum, imò vix Austria tuta fuit.

Adeoquè unus, qui suus esse non poterat: iam factus est belli Arbiter  
Puer Albertus.

Quod Alberto nascendi felicitas abstulit, hoc natus Fratribus dedit,  
æmulationem.

Et benè omnino certatur, quis eum potius regat,  
Pro cuius regimine aliquando regna certabunt.

Multorum Regnorum Rex est,

Qui multorum Regnorum Regem sibi civem fecerit.

Cum de Alberto benè mereri vult quilibet:

Tot regna numerare in debitoribus incipit, quot ille gubernabit:

Cum pro uno suo Principe pugnabat Austria,  
A duobus oppugnabatur.

Cum à Principe suo nondum felix esse posset, pro Principe facta est infelix.

Vnum illi Dominum Fortuna fecerat, duos ambitio.

Quod illa parsimoniâ profuit, hoc ista liberalitate nocuit.

Nimirum.

Donec nascens primùm Sol eluctaretur in meridiem, luctata est  
inter nebulas Austria,

Divisis interim civium animis, ut medela afferretur,  
Principum thesauri sunt.

Novo miraculo discordia concordiam peperit.

Suus interim relictus est Austriæ thesaurus Albertus,  
Et cum prius corda civium divisa essent, illicò collecta sunt.

Cæpitque esse cor illorum, ubi erat Thesaurus illorum.

Leopoldo enim expirante, respirare Vienna cæpit.

Etsi omninò eodem tempore peste laborare cæperit.

Eodem tamen etiam tempore à peste convaluit.

Sumpsitque ab ipso morbo medicinam.

Ita graves morbi gravioribus curantur pharmacis.

Plurima passim visebantur cadavera,

Ne tantum unum cadaver tota urbs evaderet.

Cum enim vires sumeret malum, quod Dominus fecerat in Civitate,

Deperdidit Vires malum, quod homines fecerant.

Vnus

Vnus communi periculo subtrahens juvenis Princeps,  
 communi periculo subtrahit omnes.  
 Mæribus illis excessit Austriæ vita, quæ mors obsederat.  
 Non prius reversura, quam hæc obsidio solveretur.  
 In vicinâ interim arce commoratus supplicio moram fecit, ut fontes  
 plecteret.  
 Cùm innocentissimus Princeps non nisi sibi similes vellet habere cives.  
 Austriacæ clementiæ jam tunc præclaro argumento,  
 Cùm ne stragem suorum cogereatur aspicere, aliò concessit.  
 Vbi salubriorem auram dum expectat, benignissima eum aura afflavit.  
 Dicerem ab austro eam spirasse,  
 Nisi pluviam attulisset, non liquidam, sed solidam;  
 Quia auream coronarum.  
 Non plus duodecim annorum juvenis ad gubernacula Viennensibus  
 proponitur,  
 Gubernaturus fasces, quos nondum ferre poterat.  
 Ætatem mensus non annis, sed animis puero majoribus  
 citò ad sceptrâ maturuit.  
 Vti solent quicumquè à Stirpe crescunt Austriacâ,  
 Non est: *Væ Regno cuius Rex puer est,*  
 modò fit Austriacus,  
 Nunquam magis ver suum habuit Austria, quam *Flore Rege,*  
 Et verò deflorescens Austriæ Status, quomodo refloresceret melius,  
 Quàm sub florido adhuc Principe ?  
 Certè non nisi amantissimus suorum erat,  
 Qui sibi minimam, maximam vitæ partem suis impertijt,  
 Quiquè tam citò felicem fecit Austriam,  
 Voluit diu felicem esse.  
 Hoc nempè cùm Vienna omnis intelligeret,  
 in hoc uno certabat:  
 Ne esset ad regendum ille velocior, quàm ipsa ad obsequendum.  
 Mitissimorum ingeniorum ferax Austria  
 Etiam à tenerâ manu regi potest.  
 Deducebatur itaque ab effusâ urbe in urbem Princeps,  
 Imò effusam urbem, in urbem ipse reducebat.  
 Præibatq; unus omnes, omnes unum.  
 Nulli secundus, omnibus secundissimus.  
 Multorum tractus amoribus, multorum trahebat amores.  
 Excepto deinde fidelitatis Sacramento, in devotionem omnes suscepit.  
 insigni documento

Quantus aliquando futurus esset, qui jam tunc in tantillo corpusculo  
sinum Abrahæ gerebat tot populorum capacem.

Secutæ sunt faustissimæ acclamationes.

Et certatim quisquè vocem impendebat Principi,

Vocales facti omnes, omnes facti consonantes,

Cùm à voce animus non dissonaret.

Nemo tunc silebat, quod vereretur quilibet,

Ne, si sileret, ipsi importunum silentium castigarent lapides,

Et loquerentur.

Ac ne unquam loquendi materies deesset,

In quovis Principis nutu quisque inveniebat panegyrim,

In quavis panegyri nemo satis verborum.

Tunc certè, si unquam aliàs

Rosas loquebantur & lilia, quicumque loquebantur Albertum:

Accessit communibus votis Univerſitas Viennensis, nihil ab alijs

dissentiens,

Nisi quòd ipsa etiam disertè ea diceret,

Quæ omnes dicebant amanter.

Vnum illi thema erat Albertus, in ipso triplex argumentum.

*Laudes, Spes, & Vota,*

Nihil extra veritatem, vel ideò, quòd omnia de Alberto.

Cujus indolem si vis, binis verbis audi

*Timebatur: amabatur,*

hoc est,

Duo conjunxit, quæ omnia conjungunt imperia.

Vis fusiùs?

Subsellia non erant officinæ, Sententiæ non erant merces;

Nec judices mercatores,

Ratio regebat, non Voluntas.

Virtutes non erant Vitia,

Clementia non licentia, Iustitia non tyrannis.

Denique Princeps erat Albertus,

Sub quo licebat cuique, quod libebat,

Quia nulli libuit, nisi quod licuit.

Hinc, cùm alibi bellica passim sonarent fulmina,

Sola Austria florebat in pace.

Procul à fulmine, quia non procul à Jove, quãdiu non procul ab Alberto.

Cujus fulmina omnium prima sensit Bohemia,

Cùm Sigismundum Imperatorem in castra secutus,

factus est Jovis armiger ales.

Sine hoc, cùm diu sese collecto agmine in tempestatem addensaret  
Germania,

Bohemia tamen nihil sensit præter tonitrua.

Tam diu pacificus Albertus, quàm diu pacificum cælum arma primò  
sumpsit pro Patriâ,

Cùm nulli inimicus esset, nisi qui inimicus esset aris,

Verè factus est,

*Amicus usque ad aras.*

Quas impij Hussitæ eversum ibant.

Absente interim Alberto, tanquam Virtus cum eo excessisset Austriâ,  
Novum facinus sceleri licuit, ad aras usquè scelesto!

In quibus Eucharisticum Manna invadentes,

Qui manna olim nauseabant,

Annonam Austriacam abstulère eo tempore,

Quo Austria procedebat ad bellum in Alberto.

Hic igitur Bohemico è bello redux,

Ne impietatem toleraret in Patriâ, quam extra Patriam vindicaverat,  
Supplicium sumit de scelere, vel ideò infando, quod nomen non habeat,  
nec mereatur.

Miratus simul & indignatus,

Cogi se ad invitam clementiam, in facinus, quo Iustitiam exhauriebat,

Quæ præter ferrum, & ignem, nihil inveniebat

Quod scelus vel excinderet, vel aboleret.

Expiatâ porrò impietate, stipendium parabat DEV S suo militi

Augustum Hymenæum.

Quo Elisabetha Sigismundi Folia in Sponsam accepta,

Cæsareus gener, Fortunâ Pronubâ, dotalem accepit annulum,

In quo Moravia, Bohemia, & Vngaria una gemma erant;

Vno igitur connubio ter Sponsus factus Albertus,

Nihil admisit vitij in tam augustâ *Polygamiâ*,

Sed erant adhuc Sponsalia tantùm,

Quibus per publicas tabulas Sigismundus

Moraviam, Hungariam & Bohemiam Alberto despondebat.

Conjugium primum à Moraviâ capit, quam primam sibi Albertus  
subjugavit.

Bina reliqua dilata sunt,

Donec Sigismundi Cæsaris morte Bohemia & Vngaria Viduæ fierent.

Accidit hoc Anno Sæculi M. CD. XXXVIII.

Quo, cùm Praga ab intestinis vulneribus nondum omnino convaluisset,  
ægotare cœpit Sigismundus,

Et

Et ipsa ferè ætas morbus erat in septuagenario Cæsare.  
 Cujus labor diebus utebatur, ut annis.  
 Auram igitur causatus,  
 Non quæ è cœlo, sed quæ è multorum animis non satis sincera spirabat.  
 Pragâ egreditur vitâ exauthorandus, quam paulò ante regno  
 inauthorandus ingressus erat.  
 Virenti caput sero redimitus ostendebat,  
 Quo loco Bohemiæ regnum relinqueret.  
 Jamquè & ipsa, quam exegerat via, & vitæ itinere fessus Znoymæ refedit,  
 aderatque cum Elisabethâ gener Albertus,  
 Vnicus Sigismundi Hæres, cui sua regna legaret.  
 Vnica Sigismundi hæreditas, quam suis regnis transcriberet.  
 Hic in fatali lecto, velut pulpito residens, vocatis in Concionē Procerib⁹,  
 perorare exorsus pro Alberto,  
 Viduæ Hungariæ simul & Bohemiæ causam egit, obtinuit:  
 Momenta rationum cum ipsa Alberti virtus adferret;  
 In Epilogo vitæ constitutus, nihil propè dixit aliud Sigismundus,  
 Quàm perorationem,  
*In qua fit motus.*  
 Hunc ipse in se primum concitavit,  
 Faciens dicendi finem simul & initium lachrymandi,  
 Oculis loqui cœpit, cùm ore cessavit.  
 Et lachrymas dedit pro verbis,  
 Ne aures solùm, sed etiam animi audirent.  
 Concedebant omnes in sententiam Sigismundi;  
 Qui ab omnibus unus discedebat  
 susceptoque in Regem Alberto, duorum Regum unus populus,  
 Vni Ave, alteri Vale dicens,  
 Quod à cælo accepit, Cælo reddit.  
 Regem pro Rege.  
 Emigrantem Sigismundi animam excepit Albertus,  
 ut totam illius vitam possideret,  
 Cuius dimidiam iam possidebat in Elisabethâ.  
 Cùm suam ipse haberet regalem animam:  
 Ut duo tamen regna facilius regeret,  
 Alteram tamen etiam regalem animam à Sigismundo mutuavit.  
 Et felicissimâ Palingenesiâ Platoniorum fabulas veritatem fecit.  
 Ex eâ certè die, quidquid magni vidit orbis in Sigismundo, miratus est  
 migrasse in Albertum.  
 Neque hoc non vidit oculata in Reges suos Hungaria.

Quæ

Quæ cùm vivum Albertum cum mortuo Sigismundo inter suos limites  
aspexit,

In duorum affectuum confinio.

Nonnisi verecundè dolebat de Sigismundo mortuo,

Cùm vivum aspiciebat Albertum.

Nec nisi verecundè gaudebat de vivo Alberto,

Cùm mortuum aspiciebat Sigismundum.

Nec nihil, nec penitus Fortunæ irascebatur, quòd nec nihil, nec  
penitus læserat,

Non rapinam faciens, sed commutationem.

Ad exequias itum est,

Et ita quisquè dolebat tanquam è cuiusquè domo funus efferretur,

Quod è toto regno elatum est, cùm illatum:

Ab exequijs ad novi Regis inaugurationem processum est.

Et ita lætabatur quisquè

Tanquam omnium capitibus corona imponeretur, cùm omnium  
capitibus est impositus Albertus.

Vnius morte quisquè se Orphanum,

Vnius hæreditate, quisquè se existimabat Hæredem.

Acta est Regia hæc solennitas ipsis Ianuarijs Calendis plane felici omine.

Qui eodem anno triplici coronâ donandus erat, *Primam anni die primâ*  
accepit,

vel ideo triplici Panegyri dignus,

## L A T I N A.



*Elicitatis te ferit aureâ*

*Alberte Virgâ, qui rutilo sedet*

*In sole formosus, suamquè*

*Consilio sapiente sancit*

*Pallere Phæben, Indigetum Pater,*

*Satorquè Divùm; Testis id inchyto*

*Loquetur in Patrum senatu,*

*Quam famulæ reverentur urbes,*

*Fæcunda Divis Austria Regibus:*

*Quæ dum jocosò margine vitrei*

*Sederet Istri, dum silentes*

*Cum Zephyris agitaret Auster*

*Man-*

*Mansuetus auras; hinc sibi regium  
Prodire vulgus vidit, & inchtam  
Merentis Alberti vocare  
Ad patrium Diadema frontem.  
Ergo decoræ prima Bohemiæ  
Regina Tellus allicit (aurifer  
E fronte vibrabat serenum  
Turbo jubar, patriisque fulgens  
Corona gemmis) Cui melius mei  
Parere vultu supplice postulent  
Dextræ Leones, & rubenti  
Ferre jubâ, meritumq; flexa  
Cervice Regem? quem dominantium  
Augusta Patrum linea, & additæ  
Serena Fortunæ propago.  
Per memoris trahit ora vulgi.  
Ac ut vetusti fulgure nominis  
Non possit altum ducere sæculum,  
Interq; cognatos superbum  
Fortè Iovem, sociasq; Divûm  
Referre turmas, sat mihi nobilem  
Densaret almæ stirpis adorem  
Fides & illa, quæ serenæ  
Hospitium sibi naçta mentis  
Modestè eunti concolor alveo  
Quieta Virtus, tristibus Alcyon.  
Amica qualem dat procellis,  
Cum vitreâ resupinus algâ  
Adblandientes Nereidum Pater  
Componit undas, & placidi jacent  
In pace Tritones. Quid ille  
Sol animi, validiq; firmans*



Columna regnum pectoris, omnibus  
 Major procellis, illa palatij,  
 Et cordis inconcussa magni  
 Temperies, animusque luctam  
 Ferox in omnem? cætera persequi  
 Si coner, imo mergar in æquore,  
 Sistiq; nolentem reductis  
 Marginibus cohibebo pontum.  
 Adesto regni sydus amabile,  
 Sanctique magnes & iubar imperi  
 ALBERTE, fulgentis capesse  
 Purpureum diadema terræ.  
 Necdum pusillæ trans mare portitor  
 Auratus Helles, liber ab improbo  
 Titanis igni, jam rigentem  
 In gelidâ Ganymedis urnâ.  
 Cernet sepultas post Iunij rosas,  
 Sedere Phæbum, cum tibi Dacici  
 Regina Tibisci, tricollis  
 Nympha potens dare jura regno;  
 Divis paratum conciliantibus,  
 Quo afferet, flectat arces Pannonis,  
 Servire sceptrum, flammeumque  
 Fronte sacrâ radiare fulgur;  
 Tibi secundâ deferet alite:  
 Vnâque nostris addita nutibus  
 Germana Virgo, laureatum  
 Hesperia stephanoma Sardâ  
 Gaudebit almo imponere vertici,  
 Lateq; lucis dulcè sonantibus  
 Tuis triumphis destinatum  
 A populisque, Diisque carmen,

*Tibi jubebit non sine ludicrà  
 Plaudi jocosa vocis imagine,  
 Discantquè sylvarum comantùm  
 Herbifera resonare valles.  
 Ut magna divos desinat Austria  
 Proferre Reges; Sydereis priùs  
 Insultet armentum viretis,  
 Et rabidus colat astra Pardus.*

G R Æ C A.

ΑΛΒΕΡΤΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ  
 ΕΝΔΟΞΟΣ.

ΔΕΥΤΕΡΟΣ Αυσριακῆς τῆς δρχῆς ΟΓΟΝΕΥΣ  
 ΠΡΩΤΟΣ

ὄλον αἰῶνα ἐξοριζομένην τὴν τῶν Αυσριακῶν αὐτοκρατορικὴν δρχὴν  
 ἐνδόξως ἀνήγαγε.

ἀληθῶς ΕΝΔΟΞΟΣ  
 ὅτε

τῷ πατρὸς ᾧ ΑΛΒΕΡΤΟΥ ΤΕΤΑΡΤΟΥ ΤΗΜΟΝΙΚΟΥ ῤητῶ,  
 μητρὸς δὲ ΑΝΔΡΕΙΑΣ,

τῷ πάτρι ᾧ ΑΛΒΕΡΤΟΥ ΤΡΙΤΟΥ τῆς ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΠΑΤΡΟΣ,  
 μεγαλομητρὸς δὲ ΧΡΗΣΤΟΤΗΤΟΣ,

τῷ προπάτριου τελευταίου ᾧ ΑΛΒΕΡΤΟΥ ΔΕΥΤΕΡΟΥ ΣΟΦΟΥ λεχθέντῳ,  
 καὶ τῆς προτῆδης τῆς ΣΟΦΙΑΣ.

ΓΕΓΟΝΩΣ

μεγάλων τῶν ὀνομάτων κληρονόμῳ,

Ἐξ τῆς Αυσριακῆς Ἡρώας

ΜΕΓΙΣΤΟΣ ἢ ΕΥΔΑΙΜΟΝΕΣΤΑΤΟΣ

ΑΛΒΕΡΤΟΣ

Ἐνὸς αὐτῶν ἦ ἔτος,

σπανέω ἐνδραμονίας παρὰ δαίματι,

ἐν τοῖς ὅλοις τῆς Ευρώπης, μάλλον δὲ σύμπαντι τῷ κόσμῳ συγχάρισμα  
 τὴν τῶν ψήφων λάβνακα σροβέσης

ἢ τῆς ΤΥΧΗΣ, ἀπὸ ΟΥΡΑΝΟΥ,

τῶν τῶν βασιλειῶν

ΒΟΗΜΙΑΣ, ΠΑΝΝΟΝΙΑΣ, Ἐ τῶν ΡΩΜΑΙΩΝ

ΒΑΣΙΛΕΥΣ προσαγορεύεται,

ΓΕΡΤΩΝ πάριαν ΑΥΣΤΡΙΑΚΟΣ,

εἰς τῆς τῶν Αἰθιόπων δρχῆων,

ἀπαιτιώσεως ἀναμφισβότως, ὡς ΑΥΣΤΡΙΑ, τῶν τῆς σταυρῆς ἐνδραμονίας ΚΑΝΤΗΡΑ  
 δινητὸν ἀποτε ἢ ἀσαθῆ τὸν τῆς Αὐτοκρατορικῆς τύχης τροχὸν

χευσαίω ἴω ἤλα ἐν σοι ἐπαγγήξει,

καὶ τὴν τῆς σταυρῆς δρχῆς σεμνότητῳ μηκέτι ἀπελευσμένην  
 ἀνεκάλεισε.

# HEBRAICA.

אלברתש ב פאר:

מלך בורגמיר ווגרית

שר-מת ירוך בורגת הובנה

Vngariæ exemplum secuta Bohemia.

Quando elegit & ipsa Albertum, optimam planè partem elegit,  
 Quæ non auferebatur ab eâ, quidquid moliretur invidia;  
 Hâc enim major Albertus æmulum non timuit,  
 Imò nec habuit.

Ambitio enim æmulos non facit, sed fingit.

Non poterat certiùs habere Virtutis testimonium Albertus,  
 Quàm odium malorum.

Quanquam ne istud quidem ullâ vi obsistere potuit,  
 Quin Alberto sese daret *Troja Bohemica*.

Qui ad manum semper habuit *Achillem Germanicum*.

Inter tantas glorias moram vix largiebatur Fortuna Alberto,  
 Ut sciret se felicem esse,

Finis unius gloriæ, gradus erat futuræ.

Quem tamen ipsum gradum adèò acceleravit felicitas,  
 Ut cum eam ad coronas procurrentem insequi fatis ille non posset,  
 Coronas ipsas ad Albertum deferri necesse fuerit:

Missis à Septemviratu Imperij legatis,

Qui Albertum Neo-Cæsarem salutarent.

Quod, cum onus ille primum detractaret, memorandum exemplum  
 orbi dedit:

Fuisse hominem,

Qui Fortunæ gratiam fecerit,

Quòd pateretur se felicem fieri.

Tam pleno se alveo Alberto infuderat felicitas,

Ut cum eius non fatis capax esset,

Cœperit iam ex oculis ebullire in lachrymas, nihil plorantes aliud  
 quàm gloriam.

Quæ vel fienda est, vel ridenda.

In uno Austriæ Archiduce Friderico, perdidit  
 pro DEO omnia Austria.

In uno Austriae Archiduce Alberto accipit,  
A DEO omnia Austria.  
Ille Ecclesiae adstitit pro DEO:  
Huic DEVS adstitit pro Ecclesia.  
Ducta namque ab Alberto in Imperium Austriaca *linea*  
Nullam deinceps passa est *interpunctionem*.  
Tanquam Labyrinthum Felicitatis ingressa esset.  
Ex quo nullus amplius patuit Austriae exitus.  
Ita pro DEO perdere, lucrari est.  
Et hoc  
Ab ALBERTO didicere FERDINANDI.







CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM  
Radius Quintus,  
S I V E  
FRIDERICI IV.  
PACIFICI  
Elogium.  
A N T I T H E S I S.

Ex parente *Pacífico* Filius *Ferreus*,  
Ex *Ferreo* Ernesto Fridericus *Pacificus*:  
Censes ?

Sine me confundere nomina, quæ Virtus utrique fecit communia;

Nam Ernesti Ferrum, Pax fuit Friderici,  
Et huius pax, illius ferrum.

Non enim sic rigent prælia, ut oderint oleam.

Non sic inermis est olea, ut ferro careat.

Ex quo pax est Filia belli.

Indolem suam à Matre accipit, de quâ nascitur:

Vix enim sine bello est, cui plus nimio est consanguinea,

Mascula illa cùm sit, & præliaris,

Pro cunis campos, pro lacte sanguinem, pro crepundijs arma quatit,

Non aliàs lusura, cuius natales sunt prælia.

Bellum, mater pacis, à filiâ accipit, quod illi dedit,

Et ferrum suum, quod aliquando patrando vulneri inservierat,  
formando vomeri aptat.

Eodemque telo, quò vulnus signarat, mortis litem scrutatur terras  
annonam Vitæ.

Nam

*Ecce*

**E**cce quid urbanis pharetrata è postibus arma  
 Suspendit facili Mars ferus ipse manu?  
 Fallor, an irato mansuet a silentia dulcis  
 Pax iubet, & fontes carcere damnat equos?  
 Iam nè croco & roseis degens in odoribus æuum,  
 Mitia jam sudi tempora veris agit?  
 En video placidæ formosum germen Olive  
 Martie pro foribus Iane virere tuis.  
 Iamq; aliquis patulum chypei septemplicis orbem  
 Profilit Ætnæis pabula ferre rogis.  
 Inde alius volucrem telis stridentibus arcum  
 Fragmina dat Scythicis abripienda Notis.  
 O benè subtractum galeis hostilibus orbem!  
 Et bella ardentis mortificata soli!  
 Quàm benè lethifero vomer felicior ensi  
 Succedit, sterili lucra daturus humo.  
 Quàm benè barbaricis agrestia sarcula pilis,  
 Et malè pugnaci Taurus arator equo.  
 Quis DEVS ò Iuvenes nobis hæc otia fecit?  
 Otia ferali non placitura tubæ.  
 Ille meus Domitor, qui subijcit omnia Cæsar,  
 Cuius victa sacro sub pede bella jacent.  
 Ille Palatinæ FRIDERICVS amabilis aulæ  
 Gloria, pacificum dignus habere diem.  
 Qui si bella vocent, si raucum buccina murmur  
 Intonet, & litui Martia signa canant:  
 Sic fuluum tereti vaginâ liberat ensẽ  
 Aduersus furias hostis acerbe tuas:  
 Vt ponè ardentem Divis parentibus aram  
 Aspiciat (placidæ signa modesta manus)



*Hæc sibi parentes populos regit, ille tuetur,  
 Hæc est Cæsareæ gloria prima domûs.  
 Parcere subiectis & debellare superbos,  
 Quos sentis lethi perfidus urit amor.  
 Post hæc in thalamos primam deducere pacem,  
 Et tacitas tuto vecte serare fores.  
 Ut mansueta quies, gaudensq; silentibus auris  
 Gratia, pacatam temperet una Domum.  
 Macte animo FERNANDE tibi pax aurea currus  
 Apparat, atq; hilares ad juga ducit equos.  
 Romanumq; ardens populis ostendere Regem,  
 Corripit exertâ laurea fræna manu.  
 Scande triumphali fulgentes lumine bigas,  
 Arsurumq; tuo lumine sparge diem.  
 Scilicet augustos gens omnis abibit ad ortus,  
 Infremet, & populi vox erit Vna: Venit.  
 Adeo & bellum sine pace non habet, quâ placeat,  
 Nec pax sine bello, quâ tueatur.  
 Quæque aliàs tyrannis esset, & vita timenda; quia non secura.  
 Fit Mater, amabilemque omnibus indolem nanciscitur.  
 Quâ ferrea à Matre filia sic tuta est.  
 Natus est Fridericus Calendarû Octobrû, eâ die, quæ Romanis Victoriâ  
 Cæsaris insignis fuit & cædis Pompei anniversaria.  
 Planè tali die ferreus Pater pacificum filium gignere debuit,  
 Eodemque die ferreo Parente talis filius nasci.  
 Ut alterius in pace pretium, alterius esset in ferro pax  
 A ferreo Parentis spiritu cùm animam traxit:  
 Spiritum tamen accepit non asperum, sed lenem,  
 Dignus,  
 Cui spiritu leni applaudat etiam Græcia..*

Φ Ρ Ι Δ Ε Ρ Ε Ι Κ Ο Σ  
 Τ Ε Τ Α Ρ Τ Ο Σ  
 Ε Ι Ρ Η Ν Ι Κ Ο Σ.

ΣΙΔΗΡΕΟΥ Τῆ ΠΑΤΡΟΣ  
 ΕΙΡΗΝΙΚΟΣ ὁ ΤΙΟΣ,  
 ΤΗΒΕΝΝΗ, ἐνθεδυμένῳ, ΣΑΓΟΝ ἠγνόηκε.  
 Ἐκ τῆ ΛΕΟΝΤΟΣ γεννηθεὶς ὁ ΑΜΝΟΣ,  
 ὁ ἐκ τῆ ΕΡΝΕΣΤΟΥ ΦΡΙΔΕΡΕΙΚΟΣ.  
 Αἰνίγμα ἀληθῶς Σαμουηλῶν,  
 ἘΚ ΤΟΥ ΕΣΘΟΝΤΟΣ ΕΞΗΛΘΕΝ ΒΡΩΣΙΣ,  
 ΚΑΙ ΕΞ ΙΣΧΥΡΟΥ ΕΞΗΛΘΕΝ ΓΑΤΚΥ.  
 Πρῶτῳ μετὰ τῶν Αυστριακῶν Καισάρων πολεμιστῶν  
 ΣΕΒΑΣΤΟΣ,  
 τὸν τῆ Ιάνη νεῶν κλείσας,  
 τὸ τῆ ΕΙΡΗΝΙΚΟΥ ὄνομα ἀπηνέχθη.  
 πῶτῳ ἄρα ρητὸς, οἷῳ ἢ  
 ΑΡΧΩΝ ΤΗΣ ΕΙΡΗΝΗΣ.  
 ἐπὶ μόνῃ τῇ τῆς ΕΙΡΗΝΗΣ Ἰππυραφῆ  
 ΜΕΓΙΣΤΟΣ ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ,  
 ὅτι ταυτην αὐτὸς ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἐπέερχων,  
 πρὸ ἄλλων ἠγάπησε.  
 ἀφ' Ἱεροσολυμαίας ἐπιδημίας παλίντροπῶν,  
 ἘΚ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΕΙΡΗΝΗΣ, σὺν ἄλλῳ ἀνασρέφειν ἠδυνήθη,  
 ἢ ΕΙΡΗΝΙΚΟΣ.  
 Ἐπιθάν  
 ἐν ἱερῷ τῷ τῆ ἐλαιῶν ὄρει, τὴν τῆς Ειρήνης ἐλαίαν ἀπέδρεψε,  
 ἄλλῳ ἐλαιώδης εἶναι ἤρχετο  
 ΦΡΙΔΕΡΕΙΚΟΣ  
 Ειρηνικῶ τῷ ΦΙΛΗΜΑΤΙ ἀγίαν τὴν ΓΗΝ ΕΚΥΣΑΣ  
 ΑΥΣΤΡΙΑΚΟΣ οὗτῳ ὁ ΒΡΟΥΤΟΣ τῆς βασιλείας ἐκράτησε,  
 πρὸς ἣν οὐ πρῶτον τῷ ΧΡΥΣΙΩΙ, ὅσον τῇ ΕΛΑΙΑΙ,  
 σεπτὸς ἐβόησε.  
 ΤΕΛΕΥΤΑΙΟΝ  
 ὁ μὲν τῆ ΣΑΓΟΥ μισήσας; τῆς δὲ ΤΑΒΕΝΝΗΣ ἐραστὴς  
 τὴν Ἀρχὴν κατὰργημένῳ ἐν ΕΛΑΙΑΙ, ἐτέλεσε ἐν ΕΙΡΗΝΗΙ.

**Vix Adolescens FRIDERICVS,**  
 Iam Christi vestigia secutus non æquis passibus, sed æquis.  
 Nam *Viri* viam in *Adolescentiâ* signavit.  
 A Matre Hierosolymam abiit: sed quia rediturus non valedixit  
 Hierosolymam abiit: pacificus ad visionem pacis.  
 Credo, quò propius & promptius pacem disceret, illuc abiit;  
 Nam pax vix discitur, nisi videatur.  
 Rex futurus orbis illuc abire planè debuit,  
 Vbi rex Regū, hoc est, primum exemplar imperantūm, seu Autographū  
 vel impressum, vel expressum,  
 Et quò clarius pateret in nocte editum est,  
 Gnarâ Divinitate.  
 Quòd & lux nimia instar tenebrarum excæcet, & Majestas nimia invidos  
 faciat:  
 Inter quæ invidia tanto pejor est;  
 Quòd inter duos, vel non diu, vel non tutò liceat imperare.  
 Terram

Terram deniquè accessit: sed Hierosolymæ juvenis quidem, at regius  
discipulus,  
Traçturus inde præcepta, ubi ille, qui non potuit non imperare, voluit  
ministrare.

Applaudat ei lingua sacra,  
Qui terram sacram Austrio pede est veneratus.

פְּרִידְרִיכְשׁ דְּשִׁלְמוֹהַ

חַוָּה שְׁנִים שָׁל — אֲגוֹסְתָהוּ

הַזְמוּר בְּשִׁלּוֹם שָׁרָה

דָּאָשׁוֹן לְבִינָן עֶטְרָה

נִשְׂאָ בְּשָׂרוֹם אֲגוֹסְתָהוּ

Redux Hierosolymâ loco miraculorum FRIDERICVS,  
Vnum, sed miraculorum omnium maximum tulit miraculum,  
Quòd ad Imperium rogari debuit.

Erravi:

Majus miraculum est, quod precibus concesserit.  
Nam in Portis Hierosolymitanis & legit, & didicit,  
Eadem viâ iter ad crucem porrigi, quâ ad triumphos.

Quanquam & hoc vel maximè mirer:

Quòd quisquam FRIDERICVM rogaverit, ut imperaret:

Nisi fortassis hæc Austriacorum vel felicitas, vel virtus sit,

Vt, ubi de Rege eligendo quæritur,

Cedentibus alijs, illi ad Imperia rogari debeant,

Id est:

Vt dignentur prodesse, quòd soli sciunt, & tantùm non soli possunt:

Anno M. CD. XL. mortuo paulò ante Alberto Secundo,

Francofurti Rex Romanorum declaratur,

Filio Mirabilium mundi succedente: miraculo hoc mirabilius,

Quòd in pace miles sic præliaretur,

Tanquam hostis nemo obstreperet, ubique pacifico,

Novo pugnandi genere pro gladio oleam circumegit.

Dignus FRIDERICVS, dici

Cui, quidquid alijs rixa & bellum est, Pax fuit:

Ipso etiam Marte stupente, aut si quod cruentum magis ingenium est,

Aliquem inveniri potuisse,

Qui sine armis præliaretur, & pugnaret in pace:  
 Qui sine ferro victoriosus, & laureâ,  
 In solâ Oleâ vel auderet, vel posset triumphare.  
 Primus illi labor ad Herculis invidiam fuit,  
 Succrescentem Ecclesiæ Hydram, uno capite multare.  
 Non potuit non eventus respondere tam difficili, quàm pulchro ausui;  
 Et faciliè cessit suadenti Pacifico Cæsari Amadeus Allobrogum Dux,  
 Sustinuitq; ne Pseudo-Felix esset, etsi non Pseudo-Pontifex,  
 Sed triplicem tiaram,  
 Quæ cælestium terrestrium & inferorum Domina est,  
 suo deposuit, & illam legitimo vertici restituit,  
 Quæ non potest nisi unum coronare etiam triplex.  
 Sed aliud præsentius longè bellum urgebat.  
 Dissidebat intestinis tumultibus Austria,  
 Credo à Friderico, quem sciebat pacem amare magis, quàm arma.  
 Ob hoc enim FRIDERICVS, seu pacificus audiebat.  
 Idem enim est:  
 Nisi quòd illud natura indiderit, indolem præfagiens ex Parente,  
 Licet ferreus esset.  
 Hoc verò virtus, seu utraq; ;  
 Austriacis enim iam hinc virtus facta est altera natura  
 Pacatâ itaque Austriâ pax in septentrionem versa,  
 Ne arma dicam:  
 Nam, si quod illuc ferrum intulit non inferendo, sed ostendendo Marti  
 illatum est,  
 Qui ad FRIDERICI compositus ingeniû iras non ciebat, sed placabat.  
 Hoc est:  
 Ipsas etiam pugnas vincebat.  
 Et tunc demum didicit quidpiam præter arma esse,  
 Quò vel vincere vel triumphare possit:  
 Cessit tandem sterilis illa, & suoapte ingenio in glaciem vergens regio.  
 Et quamvis infœcundâ in glebâ oleam passa plantari.  
 Usquè in arborem educavit,  
 Attonito insuper Aquilone,  
 Posse tam feroce spiritu, tam tenerum germen virere:  
 tanquam in Arctoâ  
 Lambat contiguas innoxia flamma pruinas.  
 Inde progressus in Italiâ, vel Cæsar, vel Augustus, imò & Cæsar & Augustus,  
 Cum illo Victor, cum hoc Pacificus.  
 Cum utroquè FRIDERICVS & Austriacus.

Quæ-

Quacunquè latè patuit Italia, Nominis sui omen sparfit,

Nam cum FRIDERICVS veniret, & Pacificus,

Etsi Insubricus regulus ferreum mallet,

Vincere maluit ipse quàm pugnare.

Assuetus etiam sine armis triumphare.

Caduceator potius, quàm Fecialis.

Ter crediderim illo anno Italia floruit,

Bis suopté ingenio :

Tertiò FRIDERICI Pacifici hoc feliciore germine,

Quod olea nativa, sed arcanâ vi,

Terram seu mitescere, seu mollescere faciat.

Lusitania illi Vlyssipone non tã Ventis, quã Votis Eleonorã in conforté  
eduxit,

Fæminam, quæ non tantùm Majestatem imperij & Coronam,

Sed & ferre posset imperandi labores.

Iudicio, & quod rarum est, in muliere prudentiã & Fortitudine animi

Amazonem dicas Lusitano-Austriacam.

Quæ Semidea cùm fuerit, Austriacos Semideos paritura,

Austriacam Domum cælum faciet.

Felicissimo Imperij omine, si posthac & Divi, & Dij imperarent.

Quibus præter felicitatem, etiam æternitas hæreditaria est.

Romam inde cum Augustã processit.

Ibiquè & nuptias, & inaugurationem solemnè ritu celebravit,

Spondente & coronante summo Pontifice Nicolao V.

Dies Solennis calendarum Aprilium fuit olim Fortunæ virili Sacer

Non sine omine.

Primus ex Domo Austriacã, Vicariã DEI manu, diademate imposito  
creatus est

Romanorum Imperator,

Acclamantibus, applaudentibus pòpulis;

**FRIDERICO PACIFICO**

**A DEO CORONATO**

**VITA ET PAX.**

Felicissimo Augurio perennatura,

Quod etiam longè post venturi Nepotes audiant, videant, gratulentur.

Quæ enim DEUS coniunxit, homo ne separet.

Adeò non ex toto ingrata Italia, Pacem plantanti, coronas reddidit pro

Fructu,

pacis gēmina.

Etsi nondum pretium æquaverit ;  
Quia pretiosior est Felicitas, quàm Majestas,  
Iam enim, cùm rapere posset si vellet, ultro dedit, hanc recepit, hoc uno  
feliciter,

Quòd tali obvenerit qui pacificus cùm sit, non felix esse non potest.  
Reversum in Germaniam bella excepere intestina, imò consanguinea,  
Pacem puto à Pacifico sollicitabant.

Et quæ absente FRIDERICO ferrea horrebat Austria sui sterilis,  
Præsente illo oleam recepit :

Didicitq; & scivit:

Diurnas nec nisi utrinq; nocituras rixas pacificâ oleâ implicare,  
Quòd facilius tam arduum Nepotum (quale bellum) explicaret.

Ita pugnandi ars est optima,  
Dux amabilis suis, & amans suorum.

Nec felicius vincitur,

Quàm ubi, cùm neuter vicefit, utrinquè triumphatur.

Nempe non ex toto bella civilia infelicia sunt,

Si Ducem non militiæ, sed pacis gnarum nacti sunt.

Nam sæpè utrimq; nemo vincit, sæpè tamen utrinque etiam omnes.

FRIDERICVS sæpius Victor, quàm pugnaverit.

Bohemos & Vngaros de Coronâ Ladislai Austriaci contendentes,  
Henricum Goritiæ Comitem, Albertum Fratrem, ipsosquè Viennenses,

A quibus integro bimestri Viennæ tenebatur obsessus,

Eâ arte, eo pugnandi ingenio vicit, quò Frater potuit,

quò Pater Patriæ debuit,

hoc est,

Amore, Clementiâ, Pace.

Quibus antequam ferrum stringeret, quò non egebat,

Vniversi hostes deditionem fecere,

Nunquam sic triumphaturo,

Si FRIDERICVS Austriacus pacificus non fuisset.

Et miraris licet,

Potuisse consanguinea bella sine sanguine transigi.

Vix enim fieri benè potest, ut iræ fraternæ, nõ sint simul etiam cruentæ :

Adde, quod difficillimum sit,

Vbi sive vincas, sive vincaris, utrinque vinci oportet.

Ibi ita dispensare prælia, qualia civilia sunt,

Vt cùm Victor sis, campo tamen potiaris citra sanguinem.

Debuit tamen Pacificus FRIDERICVS in pace quiescere

Et

Et Majestatem illam, quæ rarò admodum sine turbis est,  
Merito suo, alieno debito, ita componere;  
Vt pace suâ, cùm omnes alij fruerentur, etiam qui bella gesserunt;  
Et ipse frueretur.

Tandem Orator apud DEVM factus, & sibi pacem precabatur,  
Meritus exaudiri ab eo,  
Qui infans etiam inter caelestem militiam in terrâ pacem hominibus  
impertivit,

Etsi plusquam ferreo sæculo etiam homines ferrei essent.  
**Nunc dimittas servum tuum Domine ad pacem  
& tranquillitatem, quam prædestinasti mihi,  
secundùm magnam misericordiam tuam.**

Ita Phœnix sæculi sui pretiosissimus non occidit, sed in filio resurrexit.

Hoc uno funus creditus, quia videri voluit.

Denique ætatis LXXVIII. Imperij LIII. Christi anno

M. CD. XLIII.

XIII. Calend. Septembr.

Prædie mortis Augusti, obiit Lincij.

Huic ego universum apparatus sic instruo, ut cùm mortuus sit,  
vivere videri debeat.

Corda civium & hostium,

(Nam utrosquè sic expugnavit, ut vincere meruerit)

Corda civium & hostium

(ita est enim,

**FRIDERICO** cùm multus hostis, nullus civis esset,

Pacifico nullus hostis fuit, multus civis.)

Corda civium hostiumquè illi tumulus esto.

Pax Epigraphen incide:

Sed memento te æternitati sculperè,

Et immortalis Cæsari;

Nam qui sic pugnavit, sic vixit, sic vicit,

Vt omnes triumpharent,

Mori non debuit.

**Friderico IV. Ernesti Ferrei, Pacifico Filio,**

**Victorioso,**

**Triumphatori, Patriæ Patri.**

Quòd Bohemos & Vngaros, Henricum Goritiæ Comitem, Albertum  
Fratrem

Ipsos

Ipsos Viennenses ,  
Armeniacos Basileensi Synodo infestos ,  
Sine pugná expugnârit, sine bello debellârit, sine armis vicerit,  
Et solâ pace subiugârit :

Hanc oleam ,  
Quam gladio super arâ jacenti implices licet. .  
Nam illi, qui sic pacificus fuit, Ferrum in instrumentum pacis transferat.  
Lemma scribe: militi optimo, optimo Imperatori

Requiescat in pace.

His peractis ex Austriâ in Imperium avola & clauso Iano,

**FERDINANDO III. PACIFICO,**

Augusto alteri, gratias age ob Pacatum Imperium.

**FERDINANDO IV. III. FILIO.**

Coronam apprecare.

Et inde per orbem vecta univèrsam,

**FERDINANDIS AVSTRIACIS**

Imperantibus

Triumphos, Felicitatem, æternitatem acclama.





COPY

DIVISION OF





CORONÆ  
DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Sextus,

S I V E

MAXIMILIANI I.  
LIBERALIS  
Elogium.

O M E N.

Cùm novam victoriam in fastos referret Austriacos Fridericus.

Novum in Austriacorum Nominum syllabum nomen retulit  
Maximilianus.

Decibat talem Austriæ nasci Filium, postquam talis Austriæ nata est  
Victoria.

Ut purpureo scribi posset caractere inter Cæsares Austriacos.

Post pugnam nasci debuit, ubi purpuram sanguis dedit,  
Mortalium omnium *verecundissimo*.

Cileensem Victoriæ cùm Friderico Parenti spondidit è caelo

D. MAXIMILIANUS.

Iussit eum, qui post hanc nascebatur Victoriæ, Filium.

DICI MAXIMILIANUM.

Ita etiam cælum conspirat, non tantùm ad magna facinora,

Sed etiam ad magna nomina Austriacorum.

*Quis putas puer iste erit?*

Cui nomen suum etiam cum ambitu cælites conferunt?

Nullum ad eam usq; diem simile Nomen inter sua nomina legit Austria:  
nescio an similem partum inter partus suos?

Non

Non potest non esse maximus,  
Cui etiam vagienti jam Urbium Orbis Roma tributum dedit,  
Bina Nomina,

Fabium Maximum, Paulum Æmilium,  
Ex quibus compositum est suum Maximiliano  
*Nomen proprium.*

Neque enim aliena fuerunt nomina,  
Quæ nascens accepit ab alijs, imperans à seipso.  
Postquam in vere novus Austriæ flos nascitur,  
Dic, quibus in terris inscripti *Nomina Regum*  
*Nascuntur Flores?*

Non alio planè mense nasci debuit *Mars* Austriæ, quàm in *Martio*,  
in quo si aliquando creatus est orbis,  
Ipso in partu convenit cum orbis Domino.

Atq; ut nihil non in magnitudinem conspiret Maximiliani,  
Die Jovis natus est Orbis *Fulminator.*

Quod ipsum tamen Nomen, ne tantùm timeretur, spem fecit populis,  
Futurum cum Orbis *Nutricium.*

Qui eâ nascebatur luce, quâ omnibus in cibum datus est  
*Panis Vita.*

Nesciebam, cur in mortis periculo hunc panem inclamaverit  
Maximilianus?

Sperabat vitam secundam, ubi primam acceperat.

Inter montes & præcipitia unum optabat:

*Fructum terræ sublimis.*

Feram secutus, homines perdidit, Angelum invenit.

Inter altissimas rupes,

Cùm cælo vicinus est, cælum sibi vicinius expertus est,

cùm Angelum obvium habuit,

à quo in planitiem deductus, didicit,

Quàm Austriaci cælo curæ sint.

Qui Maximiliano viam fecit, ut rediret, unde nemo rediit.

Fecit Maximiliano viam, ut iret, quò nemo Austriacus ivit.

Testem cælestis beneficij crucem in monte erigi fecit.

Et quòd viator Deus victæ mortis trophæum esset voluit.

Hoc viator Cæsar acceptæ vitæ esse voluit monumentum.

Nunquam credo ego lautius cænavit Austria,

Quàm die cænæ Domini,

Quò tam pretiosum ei ferculum cæli favor apposuit.

Quod orbis omnis vota saturaret.

Tum

Tum illa certè Eucharistico Pani  
 Suos etiam debere cæpit Imperatores:  
 Cui ipsa jam pridem debebat imperia.  
 Applaudo infueto plerisque loquendi genere illi,  
 Qui infueto auxiliij genere Austriâ natus, est & renatus.

מבטימליאנש א נריב:

רחמיה משכנו רחיה

ראשונה צרפת גם-עבר

לא-ים לא-ארץ מס-ירון

לנחום ערו רחיה:

Cùm primū Dominicū corpus in monte conspexit MAXIMILIANVS,  
 viam ex monte invenit.

Miraris ?

Nunquid ubi est corpus, ibi congregantur & Aquilæ ?  
 Ad summa natus MAXIMILIANVS adolescit in summis,  
 Et quantò majora quisquè sperabat de puero, tantò majora mirabatur  
 in Adolescente.

Igitur,

Illustrissimos, qui ei adlecti erant Adolescentes, ipse illustravit.

Horum nullus tam spectatam ad eum indolem attulit,

Vt non inveniret in eo digniùs spectandam.

Cùm de se quisquè in illo aliquid relinquere moliretur,

Quisquè de illo aliquid accepit.

Plus didicere omnes ab uno, quàm unus ab omnibus.

Ipso sui consortio se dignos fecit, quoscunq; consortes habebat.

Impeditioris linguæ puer cùm esset, in peritissimum adolevit

Oratorem.

Fortè cùm puerilem ætatem mens longè præcurreret,

Nec satis eam lingua assequi posset, subindè cespitavit.

Nec opus erat, ut multa suo ille ore diceret, de quo ora omnium

Loquebantur.

Verbis parcus, prodigus factis,

Audire benè maluit, quàm benè audiri.

optimè igitur audiat

Eâ linguâ encomiaste, in quâ nata est Eloquentia.

# ΜΑΞΙΜΙΛΙΑΝΟΣ ΠΡΩΤΟΣ.

Σιδηρὸς τῷ πάπῳ ἡνός,  
 εἰρηκὶς τῷ πατρὸς ἡΐ,  
 ἐξ ἐκείνῃς πολεικὸν τὸ Φρόνημα,  
 ἐν τῷτῃ εἰρηνοφίλῃ τὴν Φυὴν λεληφώς,  
 ἐκάτερον τῇ πασῶν τῶν δρεῖῶν σεβαστῇ εὐσεβείᾳ ἐπεφάνωσθε  
 τρεῖς μέγιστο· τρεῖς εὐδαιμονέσασθε.  
 Πρώτην εὐθὺς ἡλικίαν  
 ΑΥΣΤΡΙΑΚῃ πάντῃ τῇ εὐσεβείᾳ, τῷτ' ἐστὶ ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΚῃ  
 πεφανερά πεποικῆ.  
 Τῷ γδ τῷ Θερέματι οἰσρω Διῶ τὰς τῶν ὀρέων ἀνοσθίας ἀνηραπαχθεῖς,  
 ἐν ἀβάπτῃ τῷ ἀτρεῖδῃ πάγῃ ὀφρῦ κρεμάμενο  
 ΣΕΒΑΣΤΟΣ ὁ ΝΕΑΝΙΑΣ  
 ἀνδρωπείας σπανίζων βοηθείας, πρὸς τὴν θεῖαν κατέφυγε.  
 Εσπεποικημένῃς πρὸς ἑαυτὸν τῷ Ιερέῳ  
 Τὸ Ευχαριστικὸν νεκρῶ τοῖς ἐαυτῷ ὀφθαλμοῖς γεμὴν λειφθησόμενον  
 ἐαυτῷ παρέχουδῃ αἰτεῖ ΕΥΣΕΒΗΣ ΑΡΧΩΝ,  
 ἐλπίζων  
 θαυμάσιον τῷτῃ τῆς Αυσείας ἀρετῃ, ἐπὶ γεμὴν πόρρωθεν περσεκνηθέντο  
 ἀσφαλῆ ἢ τὴν ἀνάβασιν εἰς ἕρηνδῃ, ἢ κῆβασιν εἰς γῆν.  
 Ουκ ἠδυνήθη ταύτην τῷ βασικῷ νεανίῃ εὐσεβείαν ἐκείσῃν ὁ οὐρανόσ.  
 Παρήτο Διῶσῶν ὁ Αγγελοῦ,  
 ἔ κινδυνεύοντα σεβασὸν τὸν Αρχοντῶ  
 μοναδικὸν τῶσων τῶν Ηρώων κληρονόμον  
 τῶσων τῶν Αυσελακῶν Αὐτοκρατόρων βασιλέων τε γέννημα ἔρρουσαι.  
 Δηλαδῆ  
 σπῆ ἐδυνήθη εἰς τὸ πτώμα νευσάζειν ἐκείνη οἰκία,  
 ἢ ὄλα σχεδὸν ἔ κῶσικῃ πεφερεῖα ἀνεσεμμένη,  
 κέντρον ἔχει ἐν ἕρηνῳ,  
 αὐτῷ τε τῶν βασιλέων κεφλαμάμαπ τῇ ΕΥΣΕΒΕΙΑΙ σπείζεται.  
 ὠφέλε σῶζεδῃ δρχμογόνῃ τῇ τῷ Ευχαριστικῷ βρώματι θερησεία,  
 ἢ τεθεμελιώται ἢ τῶν Αυσελακῶν Αρχῆ.  
 Ἰσῆς νῦν,  
 πῆνι ἀσρω τὰς ὀφείλῃς χάρετας,  
 εἴτε γενναῆ, εἴτε σκώζει,  
 ΑΥΣΤΡΙΑΚῃ ΟΙΚΙΑ.

A linguâ ad calamum progressus MAXIMILIANVS.  
 Scripsit primò digna factu, tum verò etiam plura fecit, digna scriptu,  
 Et *Macedonis* Votum eventum fecit,  
 Suus ipse sibi *Homerus* factus:  
 Ex quo cùm ille legeret facienda, fecit iste semper à se scribenda.  
 Amâtissim<sup>o</sup> omnis litteraturę Princeps, nihil coluit ampli<sup>o</sup>, quã Historiã.  
 Vt cui plurimũ ipse negotij factur<sup>o</sup> erat, de eã omniũ optimè mereretur,  
 Daretquè mercedem ante laborem.  
 Primus Illustrium Familiarum genealogias describi fecit,  
 Vt cùm seipsum videre ipse non posset,

Antiquæ Virtutis imaginem sibi pingi voluit, ut aliquid sui aspiceret,  
Et ex sensu suo, quem de præclaris facinoribus formabat,  
Disceret, quid de suis aliquando orbis sentiret,

Quæ tanta futura erant,

Vt magnitudine fastos, fastis regna implerent.

Austria certè eorum amplius capax non erat, Hinc  
In Belgicas usquè Provincias egressa MAXIMILIANI Fama,  
Sola aures omnium, & animos implevit.

Nec aliud jam reliquum fecit, quod præsens impleret ipse, quã oculos,  
Quanquam & hi in Austriam usq; jacti sunt.

A MARIA Caroli Burgundi Filiâ, in MAXIMILIANVM,  
Hujus oculos ita sui colore etiam absens imbuerat,

Vt nullum alium æquo oculo aspiceret,

Cùm plurimi unam ambirent Mariam,

Maria unum ambiebat MAXIMILIANVM.

Igitur Carolo adhuc Parente Vivo,

paçtum est inter utrumq; connubium;

Quod ut firmum esset, Adamante ligavit Maria,

Quem MAXIMILIANO dotalem in Austriam miserat,

Ita in unâ gemmâ, illa misit, hic accepit, quod erat uterquè,

*Adamas.*

Nequè enim illa armatis pulsata precibus,

Vel ille competitorum ictus potentiâ

Frangi potuit.

Evocatus MAXIMILIANVS Austriâ egreditur,

*Querere sibi regnum, & reverti:*

Iamquè secundo Rheno Coloniam appulerat,

Nobilis hæc Austria Colonia,

Vni impositam rati Austriam in Burgundiam portans,

Inde suæ ipsius fortunæ nescius,

Cùm in Belgium iter adornaret, ignorabat se in *Colchidem* navigasse,

Vbi deinde indicto Brugis conventu aureo vellere donatus est,

Primus ipse *Iason* Austriacus.

Interea Maximiliano Maria nuper Sponsa, nunc

Neo-marita jungitur,

Et cum eâ Austria Burgundia.

Amissa hæc propè iam erat, nisi sic amissa esset,

Et maluisset multorum esse beneficium, quàm rapina multorum.

Cùm omnes sibi eam destinarent unam,

Vnus eam ab omnibus servavit immunem.

Qui omnes illius Vrbes circumuectus,  
 Satis ad urbes & animos expugnandos attulit in vultu suo;  
 A quo pendeat, quisquis eum aspexit.  
 Vix faciem illius aspexere Provinciae,  
 Et nova ubique rerum facies visibatur:  
 Nisi non nova facies fuerit ea,  
 Quae cum aversa prius à Maximiliano fuisset,  
 Vno omnium obsequio ad Maximilianum conversa est,  
 Præter eos,  
 Quos cum ipsi nollent, violento beneficio Maximilianus  
 Esse felices coëgit.  
 Et nunquam magis pro illis pugnavit,  
 Quàm ubi contra illos pugnavit,  
 Appendens ad bilancem prælia,  
 Ne plus suavitate, quàm viribus decertaret.  
 Neminem vicit, cui non parceret, & veniam daret omnibus;  
 Quam omnes egebant, quam non omnes merebantur.  
 Nec miserando fessus, nec triumphando.  
 Ægrotanti Belgio,  
 E suo ipse ingenio medicus factus  
 illud curare noluit:  
 Nisi postquam multorum rebellium cadaveribus  
 Terram implèsset.  
 Cum sibi semper pugnaret, nunquam sibi vicit.  
 Plusquam parens,  
 Priusquam Filium haberet, Felicem fecit.  
 Postquam habuit, invitus fecit infelicem:  
 Philippus is erat Austrius,  
 Ex hoc nomine Primus,  
 Prius Princeps, quàm infans.  
 De quo priusquam loquar aliquid:  
 Libet tanto Parenti, tantum Filium gratulari.



*Vrrite Pegasides, Regiq; hæc dicite vestro.  
 Si non bella tibi, non coniurata moventur  
 Prælia, non alium bellax assurgit in enses  
 Porphyrion, dirumq; movet tibi Fæmina cæmen  
 Thessalis, aut tragicus fraterna cæde Thyestes  
 Rursus amat civile nefas; quò flectis iturum*



Cornipedem, pastosq; rosâ fragrante jugales?  
 Sed video, properat, video salit ille meus sol;  
 Quàm blandus, quàm mitis ades radiate Polorum  
 Cæsar! ades! pro quale decus! quàm pulcher eburnæ  
 Ardet frontis apex! quàm plena micante sereno  
 Cæsaries, iussumq; aliter splendescere fulgur.  
 Nec nimia te luce leuas, nec parcus honesti  
 Fulguris, æquali vernantem lumine flammam  
 Dispensas, veluti veris (post frigora) regnum  
 Restituas, rursusq; suo de funere Maius  
 Attollat vitale caput: quò nimbus, & undæ,  
 Quò pluuij cessèrè dies? en! dulcior auræ  
 Mansuetusq; tenor! non prælia turbine rauco  
 Horridus exercet Boreas, non asper in arma  
 Euronotus cum Fratre venit, suspiria venti  
 Pacato de more trahunt: ô dulcia Cæli  
 Regna, nec immites in vota precantia Divi.  
 Currite Pegasides Dominoq; hæc dicite vestro.  
 Cui tantum crocei grataris imagine vultus,  
 Et plenæ fulgore comæ, pulcherrime Cæli  
 Prætor, & ignipedum moderator Phæbe rotarum!  
 Tenè Palatino fulgentem in culmine Cæsar  
 Austriades, te dulce decus, te maxime regni  
 Arbiter, augustâ donatum prole Parentem  
 Siderei Proceres, altèq; micantia signant  
 Astra? Philippe tibi arridet meliore labello  
 Phæbus, & arcano rutilantem lumine bigam  
 Ad parvi fulgere iubet cunabula Regis?  
 O amor! ô magno spes inconcussa Parenti!  
 Si tantum funesta colus sinat ire serenum  
 Tempus, & æterno ducendum pollice stamen!  
 Ite Deæ, Clariâ quæ Bellerophontis in aulâ

Scribitis æternâ signatas Iaspide leges :  
 Ascræum referate nemus, fatisq; potentem  
 Sollicitate DEVM, tenero venientia Regi  
 Fata, & tranquillâ liquido canat ordine sortes.  
 Incipite, ex omni fatalis personet antro  
 Horror, & afflatæ spirent præsagia rupes.  
 O Decus! ô magni iucunda superbia Patris!  
 Vel Superis placiture Puer! cum lucis ab ipso  
 Limite digressus, viridi cum firmior ævo  
 Altiùs euectæ passu gradière iuventæ;  
 Iam tenerum complexa sinu formabit Alumnum,  
 Quæ totum frænis cohibet victricibus orbem;  
 (Virtutem dixere Patres) patrijsq; decorum  
 Legibus instituet, quò præceptricis amatæ  
 Artibus, æternæ doctus præludere famæ.  
 Iam nunc magnanimum tenero mediteris ab ungue  
 Posteritatis opus, vestigatorq; futuri  
 Consilio sapiente animus, vel posthuma discat  
 Sæcula, & ad serò venturos limite Soles  
 Ingenuam vibrare aciem: sic editus Heros  
 Inviolata dabis puræ sacraria menti.  
 Interdum leges, præceptaq; fortia belli,  
 (Sic etenim statuere Parens, Mavorsq;) severo  
 Ingeret affatu, formidatamq; Medusæ  
 Ægida pugnaci coget suffigere dextræ:  
 Iam lætùm mucrone latus munire, micantis  
 Intrepidum capuli, galeæ nec triste timentem  
 Fulgur, & ardentem flammato pulvere nimbum  
 Vel tenerâ torquere manu, de nube tonantis  
 More Iovis, quem dulcis adhuc licet Ida paterno  
 Inter sanguineos Curetum stringeret enses  
 Celatum gremio, nec adhuc patientibus annis

*Dispersæ Domini per eburnea colla flagrarent  
 Irides, aut rutilus redimiret flammea candor  
 Tempora, iam iussis tamen ad præcepta venire  
 Naturâ mandante Dijs, perquirere cæpit  
 Tela, rudiq; ferum dextrâ propellere fulmen.  
 O lux! ô magno dignandum Cæsare Syds!  
 Cresce, & poscentes te, Victõr, sume coronas.  
 Aspicias, ut dominum quærit sibi purpura supplex  
 Austriaden, vultusq; tuos Mavortius ambit  
 Cantaber, ac pronas inclinat Iberia turre?  
 Appropera mea lux! Regemq; potentibus oris,  
 Optatum concede jubar: num fræna volentis  
 Ignavus tardat sonipes? en totus in aruis  
 Circumspectat eques dominum, votisq; nocentes  
 Incusat spes ægra moras, suspensaq; librat  
 Gaudia: quid nimium populi languentia ducis  
 Pectora? tolle moras. primos venientis ad ortus  
 Ridebit cælestis apex, plausuq; citato  
 Ardentes hilari salient super æthere stellæ.*

Et verò,

Sustulit planè moras,

Qui in Parente regit, antequam viveret:

Vixit ne regeret parens.

Huic enim ereptus infelicissimum imperandi tyrocinium posuit, capti-  
 vitatem.

Quam alij libertatem vocabant.

Tanquam à Parente non regi filium libertas foret.

Hic filij auspicijs in Parentem pugnatum est,

Quem nondum noverat Filius.

Prælium id fuit, in quo felicissimus erat, qui vincebatur, Philippus.

Qui sui nihil amisit, seipsum lucratus est.

Imò aliquid sibi seipso charius, etiam Parentem.

Huic cum restitueretur, utrimque itum est in amplexus,

Eratque verè finis belli Pax:

Imò belli initium,

Quod

Quod non ablatum, sed translatum est è campo in urbem,  
 Pugnatumquè non viribus, sed artibus:  
 à Brugenſibus enim intra mœnia receptus Maximilianus,  
 cùm inermis eſſet,  
 Contra plebis armatas furias ſolo ore pugnavit.  
 Ter intempèſtâ nocte in forum progreſſus,  
 Cæcum impetum ſanavit, cùm aſpexit.  
 Et duplici nocti diem reddidit ſuo oculo.  
 Cùm in eâ urbe detentus erat, in quâ omnes rei erant,  
 Diceres in *carcere* detentum Maximilianum:  
 Niſi ipſe ſua ſibi ſemper regia fuiſſet.  
 Custodiebatur inter muros & mœnia, quæ ipſe custodiebat.  
 Et apud quos non ſatis ſecurus erat, per eum omnes ſecuri erant.  
 Veniam enim cum optimo Principe pacti,  
 Illius fidem ſuæ perfidiæ oppoſuerunt.  
 Et cùm filij injuriam, vindice exercitu, ultum iret Parens Cæſar,  
 Quem auctorem fecerant, uſi ſunt deſenfore,  
 Ex inde ſatis beneficij contuliſſe Belgio ſibi viſus Maximilianus:  
 Cujus etiam maleficia in bonum verterat,  
 Ne ab omni orbe invidiam pateretur locus unus,  
 Incæpit ipſe verè *Liberalis* fieri,  
 Et Virtutem ſuam orbi communem facere.  
 Rex Romanorum inauguratus nunquam otioſus erat,  
 Semper, vel accepit quod daret, vel dedit, quod acciperet.  
 Victorias illius recenſerem, ſi numerum haberent:  
 Aliquot numeravit Austria, Ungaria, aliquot  
 Italia, Geldria, Tyrolis.  
 Nunquam vidit Imperatorem, quin viderit Triumphatorem.  
 Orbem germanicum non pertransiit, ſed pervolavit:  
 Sui tamen veſtigia ubiquè reliquit ſolas Victorias.  
 Inter tot belli discrimina non niſi ſemel vulneratus,  
 adverſo pectore icum excepit:  
 Et pro Aſtriâ.  
 Ecce quomodo amabat eam?  
 Pro Corde Germania Corſuum, pro Sento Pectus appoſuit.  
 Ita fidem fecit illi,  
 Quod in Conſtantienſi conventu ad imperij ordines dixerat:  
 Se centies centena aureorum millia è ſuis opibus Reipubl: impendiſſe;  
 Cui enim ille ſumptui parceret pro Republicâ, cui etiam impendit ſan-  
 guinem.

Nihil

Nihil illud vulnus aliud egit, quàm quòd aditum ad cor aperuerit.

Ut in eo omnes viderent, quàm sui cives sibi *cordi essent*.

Sæpe à Victore MAXIMILIANO hostes didicerant vulnera dare,

Tunc etiam didicerunt vulnera ferre:

Utrobiquè exemplo regio.

Nisi quòd Felicitatis alterum, alterum Virtutis sit.

Tot per omnem vitam laboribus infractum MAXIMILIANI corpus,

Nescivissemus an ex ferro esset,

Nisi adauctum in præcordia ferrum illud carneum esse monstrasset.

Quisquis tamen humanissimi Cæsaris suavitate manum sibi retrahi  
non sentit,

Quàm *ferus*, & verè *ferreus* ille fuit.

Atquè ut scias belluis esse homines sæpè ferociores,

Non conflixit sine vulnere, eum hominem,

Qui cum *Leone* conflixit sine vulnere,

Sinite (ajebat tunc Sambson Austrius)

*In hoc leonino conflictu verum me probem filium Leonoræ:*

Dubitasses profectò, quisquis tunc vidisses illud

Par nobile Regum;

Uter duorum haberet ampliùs de Leone, uter de homine ampliùs?

Ita inter Austriacas manus Leo propè factus est humanus,

Inter Leoninos rictus manus Austriacæ propè factæ sunt Leones.

Præfagiebat jam tunc prima de Leone Victoria, suos de Leone Belgico

Triumphos.

*Hinc effracto gutture illi linguam eripuit,*

*Vt fama loco, Leo leoni suum Victorem loqueretur.*

*Vt fortiter, & suaviter regeret;*

*Cùm vires jam accepisset à fortissimo Leone:*

*Etiam dulcedinem in Leonis ore quæsit,*

*Unde jam olim erat egressa.*

*An eam ibi invenerit? judex esto tu,*

*Quisquis vultus aliquando Austriacos aspexisti:*

Nisi fortè suavitatem invenire MAXIMILIANVS non potuit,

Quam nunquam amisit,

ne tunc quidem,

Quando jam ei mors prospiciebat ex oculis.

Quibus paulò ante in Augustanis comitijs

mortem Germaniæ viderat:

Quando solus ex omnibus in Lutheri humeris malum genium vidit,

Quem in orbem ille aliquando erat excussurus.

Indignus planè Lutherus erat, quem terra ferret,  
 Qui eum tulit, quem cælum ferre non potuit.  
 Tandem in istis humeris sedem invenit,  
 Qui olim circumvit terram & perambulavit eam:  
 Quantas hæc inauspicata quies in orbe Christiano motus concitabit!  
 Non poterat horribilium omnium horribilissimum,  
 Illud à MAXIMILIANO extorquere,  
 Ut sibi similis non esset,  
 Etiam in fatali lecto, ut solebat, affabilis,  
 Didicerat mortem non timere,  
 Cujus instrumenta ubique secum tulerat.  
 In eo, quem construi sibi jussit, mortuali Sarcophago  
 Diu circumtulit, in quo ipse erat efferendus,  
 Morti vicinus triplici involucro corpus suum involui præcepit.  
 Linio, Serico, & Damasceno Albo.  
 ut triplex hoc spoliū de tribus regnis secum ferret.  
 Excussos dentes in terrâ cremari jussit.  
 Facturus inde Cadmi semen.  
 Mortuum cadaver omnibus prostare voluit,  
 Ut quod vivus erat semper, etiam mortuus esset omnibus  
 Spectaculum.  
 Nullum in omni vitâ majus orbi miraculum attulit,  
 Quàm quòd, cùm viveret jam mortuus sit.  
 Qui postquam jam mortuus est, adhuc vivit in FERDINANDIS:  
 Qui si aliquando tumulis illati sunt,  
 Non sunt plus passi quàm semina,  
 Quæ moriuntur ut vivant, etiam cum usurâ.









CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM

Radius Septimus,

SIVE

CAROLI V.  
MAXIMI

Elogium.

EMBLEMA.

Fama, CAROLO Quinto, Magno, Maximo colossum instrue;  
Sed qui maximo par sit, hoc est maximum.

A terrâ in cælos abeat digna tanto Cæsare fabrica.

Priusquam tamen exstruere incipias,  
Tumulum,

Quem ipse mortuus sibi, tibi, ac toti orbi immortalis fecerat;  
Primum tumula.

Ac deindè superingestâ humo, sic conditum suis cineribus permitte,  
Ne seu funesta; seu ferali imagine operi obstrepas, quod in ultimam  
Posteritatem molimur.

Spatium, in quo hæc machina surget, omnium hominum erit memoria,  
Si excesserit.

Eâ parte excedet, quâ immortali Cæsari immortale monumentum tu facies,  
Et extra communia hominum fata altissimo vertici imposita cælis  
Imminebis.

Quibus nihil amplius fatale est.

Pro basi geminas illas columnas Herculis Calpen, & Abylam sic subjice,

Ut stratae ultra Lybiæ Europæque fines jaceant, infra

Plusquam Herculeum lemma adde:

PLUS ULTRA.

Erit hæc ad labores CAROLI Magni inò Maximi limes.

Quà se Herculis ruperunt Viæ.

Hinc mensuram accipe :

Altero tanto Hercule, major est CAROLVS,

Quòd eâ inceperit laborare, quà ille fessus quieuit.

Desertas fragmentorum arcas utrinquè stipent labores tredecim,

Quibus unà cum Hercule Antæum humi impone,

Nil pro futuris tactibus à Matre vires quæsiturum.

His superstrue CAROLI annos,

Heroas omnes Victoriosos, Triumphales.

Omnibus his magno calamo hos versus inscribe:



*Ille Germani dominator Orbis*

*CAROLVS, victas cui fert subactus*

*Supplici Alcides, dominum salutans*

*Voce columnas.*

*Quidlibet magno meditatur ausu,*

*Ad MARIANAS meditatur aras,*

*Nec timet mentis liquidos apertæ*

*Prodere sensus.*

*Quid mihi strictum Telamonis enses*

*Obijcit mœstæ malesana mentis*

*Cura, quid tristes meditatur atrox*

*Palladis arcus?*

*Ite sub molles Rubiconis undas,*

*Ite trans Medum Babylonis orbem,*

*Sub fretum Thules procul ite læsi*

*Iurgia cordis.*

*Integer morum, scelerisq; purus*

*Virginis cultor, neq; fulminante*

*Hectoris telo, neq; Sardonis*

*Indiget armis.*

*Nolo mucrones, facilemq; victi*

*Herculis parmam, nec abenus ille*

*Arma quæ cudit sibi fabuloso*

*Mulciber igni.*

Ille tutelam mihi spondet umbo,  
Quem *MARIANÆ* mihi fabricatum  
Cura Bellonæ famulo corusca  
Pandit ab arce.

Hoc ubi septum generosus *Aiax*  
Videro pectus, neq; tela *Parthi*,  
Nec venenatæ grauidam timebo  
Cuspidis iram.

Scimus ut tristi dare thura *Lunæ*  
Pertinax vultus, solitusq; turpes  
Supplici vultu *Mahometis* aras  
Tangere demens.

*Bosphori* cultor, per onusta vasti  
Regna cum *Ponti* traheret timendum  
*Vrbibus* fatum, tegetetq; totum  
Classibus æquor;

Vt laboranti meditata mundo  
Vindicem dextram, stiterit rebellem  
*Barbari* cymbam, decimaq; totos  
Merferit undâ.

*Thraciæ* ciues (ubi trux *Molossion*  
*Nereus* pandit) redimita leni  
*Syderum* nimbo, roseisq; fulgens  
Virgo fauillis.

Ille quæ puro sine labe partu  
Seruat æternum, positura nunquam  
Virginis nomen, famulamq; *Cæli*  
Temperet aulam.

Ille calcatam domitis subegit  
*Cornibus* *Lunam*, indocilemq; vinci  
*Cæsaris* *Martem*, tulit *Herculani*  
Æquoris ultra

Spumeum murmur, pavidasq; Thracum  
Obruit turmas, Scythico cruore  
Decolor Pontus, rubuere pictæ  
Sanguine puppes.

Vt mei pronâ pietate victis  
Parcerent enses, tamen ira sæuæ  
Tethyos nulli miserum pepercit  
Naufraga fatum.

Ergo vel totus fremat arma Pontus;  
Una si blando fauet ore Virgo,  
Hac duce armati superabo victor  
Prælia Ponti.

Pone me, duras ubi nulla rupes  
Mollit herbosæ leuitate scenæ  
Flora, sed solus riget æuiternis  
Cautibus horror.

Fundet æstivas, mihi fundet herbas  
Hic MARIANÆ sacer umbo dextræ,  
Fundet Hyblæobenè promicantem  
Germinè n. essem.

Pone me, pigris ubi nullus arvis  
Phœbus audaces meditatur odas,  
Quod latus mundi cobibent silentis  
Otia vulgi.

Hic Marianis stimulabo mollem  
Laudibus buxum, famuloq; Regi  
Dulcè ridentem MARIAN amabo,  
Dulcè loquentem.

Hæc ubi inscripseris,  
Nullum annum imbellem statue;  
Nihil enim pueri in CAROLO etiam recens nato.  
Ipse annus quo natus est, non infantis, sed viri primus fuit.

Et

Et quia eadem semper illi virtus, felicitas eadem,  
Omnes similes incide.

Solis vel spolijs, vel triumphis dissideant.

Gestum inde qualis Martis est, cum Getico ab Hæmo infert prælia,  
Thracioquè super curru cruentus.

Et Pergama, & Priamum, & Dardanium non uno vulnere, uno funere  
miscuit.

Sinistrâ suâ quisque regat spolia:

Dextrâ sic vibret Imperatorium baculum:

Tanquam velacies instruat, vel coituris in strages militibus impetus  
sufficiat.

Laurum messuros

Vtroquè brachio ad cubitum nudo.

CAROLO enim tam expedita ad agendum manus fuit, quàm maturum  
Consilium.

Oculos cuilibet in iras acue:

Sed quales, vel iusta vindicta, vel clementiam inter & magnanimitatem  
Fortitudo

Heroa succendit.

Non vagos, non evariato nutu, sed uni victoriæ intentos,

Qualis ijs ducibus esse solet,

Quibus vel sua virtus, vel invictum robur certam laurum fecit.

Armaturâ indue eâ, quæ pugnaturi in campo Ducis esse solet.

Cassidem capiti, lorica pectori, enseni lateri admove.

Fascia militarem, quæ & militis & ducis est, ita in humeros abijce,

Ut à lævâ in dextram defluat,

Mediumquè pectus anni cujusquè; quia Austriaci

Ad effigiem gentilitiæ Nymphææ

Candidum faciat, & rubicundum.

In mediâ facie ad basin, annum statue super conchâ Neptuni,

Dextrâ Tridentem, sinistrâ velum Fortunæ regat.

Magnanimus enim, & qualis CAROLVS erat Maximus,

Suæ ipse Fortunæ faber est.

Ad pedes Oceanum, & omnes maris Deos abijce,

Navigaturo celeusma acclamantes.

Erit hic annus M. D. XVII.

Quo in Hispaniam navigavit relicta ad Belgij gubernacula Margaretâ  
amitâ,

Hâc annum siste, cujus vertex sepositâ ad pedem casside, coronam gestet:

Infra Pedes sterne, basis loco, quadraginta millia Marranorum :

Vtrinque universam Hispaniam sic subde genu flexo,  
Tanquam vel Regem saluaret, vel subiectam se fateretur.

Erit his annus M. D. XVIII.

Quo septimâ Februarij Vallisoleti ad Divi Pauli Hispaniarum Rex  
inauguratus est.

Præmium, credo, coronæ fuere quadraginta millia Marranorum, eodem  
Anno prostrata.

Iam tunc præfaga felicitatis suæ Hispania, quod Regem nacta sit,  
Qui non nisi per Victorias ad solium graderetur.

Illuc annum coronâ argenteâ insignem,  
Cui universam Germaniam sic flecte ad Imperatoriam Majestatem,  
Ut Imperatorem adoret.

Erit is M. D. XIX.

Quo

XXVIII. Iunij Francofurti Romanorum Imperator renunciatus,

E Belgio Aquisgranum profectus,

Ibidem Imperij Coronam argenteam Carolinam suscepit.

Anni hi Coronarum fuere.

Si cum addas, quo ferreâ Longobardorum insignitus fuit,

Vel miles Regius, vel Cæsar militaris :

Vtroque Victor.

Nunc laureatos dispone,

Annus, qui ordine, ita felicitate primus est, dextram teneat,

Huic adijce, cum civitatibus, Proceres Hispaniæ,

Ducibus Friderico Henrico, Ammiralio Velasquio Conestabili Castellæ,

Prælio victos, debellatos, ad obedientiam reductos,

Gallos domitos, Navarram subjugatam.

Cruentam illam pugnam adde,

Quæ XIV. Augusti ejusdem anni Exercitum Gallicum fudit, Ducibus

Eorum captis.

Numera Mexicam cum ipso suo Rege, & ultra centum millia

Indorum cæsa,

Duce Ferdinando Cortesio.

Placentiam, Parmam, Mediolanum, Tornacum, Majoricam.

Rebellibus catenas injice,

Reliquos aut deprecari jube, aut sub jugo gemere :

Nam & CAROLVS noverat parcere subjectis, & debellare

Superbos.

Ad hujus normam reliquos exprime,  
Ad annum usquè M. D. LV.  
Et hanc subijce Epitomen.

## פרולוש ה חבון :

משננו גרמים דומה צופה

משנת ציונים תה - בדולוש

מלתה תללתה בירלון

תלרעים זרת - געלם :

Suum deinde cuiquè decus adorna,  
Incide Franciscum Primum Francorum Regem prælio victum, captû.  
Perüanam Francisci Pizarri operâ subiectam ditionem.  
Superatum bis Turcam.

Octodecim Reges, octodecim prælijs victos.

Castella centies mille expugnata,

Quadraginta Victorias, prælia plusquam felicia septuaginta.

Denique, sic adorna universam imaginem gloriæ,

Vt cum comprehendere non possis omnia, videaris insinuâsse.

Super hæc geminos orbes impone,

Quos Columnæ geminæ nectant in vertice coronatæ :

Mediam pietatem pinge, eò quò solet vultu heroo, & cælum suspiciente,

Dextrâ manu crucem gerat ;

Sinistrâ volantem infra columnas schedam ostendat,

Cui incisum CAROLI maximi dictum,

absolutissimum triumphandi documentum,

Victoriarum suarum Epiphonema tam sanctum, quàm gloriosum.

### CAROLVS Venit, Vidit, DEVS Vicit.

Apage quisquis malè Politicus, ambitiosius obstrepis quàm verus :

Cæsar non Vicit, DEVS vicit.

Quanquam CAROLVS vicisse videri potest, cui nulla pugna nisi

Pro D E O,

Nullæ victoriæ fuere, nisi DEVS triumpharet.

Supremo vertici Aquila supervolet, è cujus ore verba emineant :

### Non plus ultra.

Limēs hic esto felicitatis CAROLI,  
Ne fortunam, juvenum amicam, senex irritet,  
Geminoquē innixa orbi,  
CAROLVM Victorem, Triumphatorem Cæsarem Maximum.  
Sic dic :

Ut & Oriens, & Occidens audiat :  
Non aliàs digna tanto Cæsare fama futura.  
Dic pugnas, cæsos hostes, domitos rebelles, Reges captivos,  
Vrbes expugnatas, orbes subjugatos, victorias,  
Triumphos.

Hæc ab uno CAROLO gesta dic, sed MAXIMO.  
Attamen ubi extra Maduram deveneris,  
Est in hac Provinciâ D. Iusti, Ordinis Eremitarum D. Hieronymi  
Monasterium :  
Sepositâ tubâ altum file.

Et ingressa abdicantem CAROLVM immortalem,  
Cæsarem,  
Eremitam moriturum,  
Elinguis obstupefce.

Ubi dein te iterum collegeris, devotissimâ reverentiâ  
Accola.

Et quod pauci intelligunt verbum,  
Verbo, quod pauci intelligunt, loquere.  
Græcè applaude.

**Ε**Κ γονέων μεγάλα γεννηθεὶς, ἦτο μέγιστος  
Κάρολος, εὐτ' εἶναι ἤρχετο μικρότατος.  
Καὶ πρὸ γῆν ἢ, ἢ κατὰ Παλάτιον μέγας ἦεν,  
Ἦτο θειαμβευτῆς ἀμφοτέρω τε κύκλω.  
Ἡ μέγας, Αυσριακῶν πάντων ὅτι ἦτο κρατῆς  
Τῶν Αὐτοκρατόρων Κάρολος ὡν βασιλεύς.  
Ἀλλὰ δὲ εἰ μείζων ἢ πάποτε Κάρολος ἄρχων,  
Ἡ πότε ἐκ μεγάλας μικρότατος γεγονώς.  
Οὐρανῶ τῶ ὑψιφόρῳ πότε ἀρετῆς ἦεν,  
Γενναῶς ὅτε πῶν κροσμοφί ἐσίβει.  
Κάρολος αὐτοκρατῶρ, μείζων μὲν Μήποτε ἦτο  
Ἡ ὅτε τῆς ἀρχῆς ἦτο ἀφιστάμενος.  
Τὸ σφαινηφόρον ἀστροῖς ἐμβάπων κεφάλαιον,  
Ἡ ἐπὶ κροσμου βάρος ἀφιστάμενος.  
Ἐξ αὐτοκρατῶρος μοναχῶ, κ' ἐξ Καίσαρος ἐδέξεν.  
Μείζων εὐτ' ἐδέξεν, ἢ πότε Καίσαρ ἦεν.



ὄν τ' οὐ φιλεῖν οὐ δύνη·  
ὅπ' ΚΑΛΟΝ,  
ἔπ' θαυμάζε·  
ὅπ' ΚΑΙΣΑΡΑ  
ἠνίκα νέω πνι θαύματι  
ἀντίθετα συνθεῖς τὰ ὀνόματ'  
ἐν ἐνὶ αὐτῷ τε τῷ θρόνῳ βασιλεύειν δύνασθαι  
ἐβήλασε·

τὸν μὲν ΕΡΩΤΑ, Ἐ ΣΕΜΝΟΤΗΤΑ.  
Μὴ ἀπὸ ὁμοῦ ΚΑΛΛΙΘΝΑ ἢ ΚΡΑΤΕΡΟΝ νομίξει  
ΦΡΙΔΕΡΕΪΚΟΝ.

ὅς σπανίᾳ ἔτ' ἐν κραδίσις παρὰ δαίμονα,  
ἀντιμαχομένην τὴν πύχην  
ὄτως κραταῖως, ὡς εὐτυχῶς

εἰς πᾶς ἑαυτοῦ ἐπιχερίας εἰσαυθίς ἠνάγκασε.

τὸ μὲν Διόσκειμα σὺν δόχῃ τέτω ἀπαξ ἤσπαχε ἢ πύχῃ·

ἀλλὰ ἴσῃ αὐτῷ κερυφὴν μηδεμῆ εὐρεσα,  
δοτοτέθηκε,

κ' ἐν ἀδίκῃ τῆς τῷ Διόσκειματ' ἀληθείᾳ  
γεγονῆα δικαιοτάτη δικάσει·

βιφθὲν δὸτὸ ζήλημον τῆς ΕΡΙΔΟΣ

ἤσπαθεν τε τὸ χεῦσεν τῆς δόχῆς τὸ ΜΗΛΟΝ

τῷ ἄλλῳ διδόναι σὺν ἐδυνήθη,  
ἢ τῷ ΚΑΛΛΙΣΤΩ.

Plura de hoc cave ne loquaris:

*Maiora sunt maximo.*

Et quæ non nisi spectator orbis admiretur, vix credat:

Ut immortalis esset, eâ transivit,

Quâ proximum ad æternitatem iter est,

Quod ingredi debuit, vel idèd,

Quia is erat, quem orbis amplius non caperet.

Imperio se abdicavit, & gloriâ,

Quæ nihil haberet amplius, quò tantum Cæsarem

Coronaret,

Qui *Maximus* esset,

Et vel sic ingenuè passa majorem CAROLVM,

Abdicari se passa est, ne abdicaret.

Fortunæ ludum facturus, ne luderetur ipse,

Quidquid acceperat, reddidit, etiam sic fortunatus,

Quòd Fortunis carere maluit, quàm privari;  
Felicissimus, cùm felicitatis nihil superesset ampliùs,  
Ne infelix foret, quòd felicior esse non posset, denuò felix esse  
Cœpit.

Hòc quoquè felicissimus,  
Quòd præcipitia, quæ alij vix tangunt, ipse etiam calcaverit.  
Quin quòd videret fortem suam humanâ majorem,  
Semideus ab hominibus abiit:

Et ut stabiliret non duraturam aliàs immortalitatem,  
Cœpit de æternâ vitâ cogitare.

Vtriusquè Orbis Victor, cùm eò processisset,  
Unde progredi non posset ampliùs, nisi in cælum graderetur,  
Eò ivit, quâ proximus in cælum passus est.

Credite Posterì:

Nunquam major erat CAROLVS, etsi jam tum maximus  
esset,

Quàm quando strato humi omni apparatu gloriæ,  
Cælum inter & terram medius,  
Imò cælo propinquior sic illuc abiit,  
Ut per humana omnia incederet.

Hòc ipsò vel cælestibus, vel DEO proximus.  
Debebatur hoc Maximo CAROLO, ut illi se cælum etiam  
subijceret,

Qui superato utroquè orbe, jam non habuit ampliùs quod  
vinceret.

Debuit se, ascensuro in cælum, terra in scabellum subdere,  
Nam non est facilior illuc passus, quàm calcata terrâ.  
Naturam solis imitatus,

Qui tot annis semper diurnus terram obierat,  
Ut integram diem faceret, *noctem* addidit, seu *tenebras*.  
Gnarus, si in cælum ascendere vellet, nequè illic lucem esse sine  
tenebris.

Inde sic occidenti etiam astra parentarent.  
Nam visus in Hispaniâ Cometes initio non admodum illustris,  
Sole scilicet suo adhuc terras obeunte,  
Sed qui subcrescente morbo, per eadem incrementa lucem,  
intenderet,

Donec verso in Hieronymianam sedem ferali crine,  
Quâ horâ CAROLVS vivere, ille videri desijt,

Ostensus se fortè diutiùs,  
Nisi sic occidendo iterum ortus, astra cælo expulisset, vel luce  
damnasset.

Nam CAROLI dies, quæ nullas umbras, tenebras nullas habuit;

Quia Maximi fuit citra invidiam,  
Radijs suis non occidit, sed eosdem posuit latibulum suum.

Nunquam splendidior Orbi, quàm quando sic latuit.

Nam nunquam Soli felicior, aut pulchrior fax accidit eâ,

Quam promit è nubibus eluctatus,

Æternitatem adepturus.

Qui cùm adeo crevisset, ut homo vix crederetur ampliùs,

A perituris ad æterna se transtulit.

Nunquam certius cælo victurus, quàm cùm humanis sic moreretur,

Ut iam proximus astris degeret,

Et humana, quæ mundus maximi facit, ipse major calcaret.

Ita CAROLVS cum esset Austriacus,

Proprio Austriacorum ingenio, an naturâ?

Annos quadraginta paternis regnis, sex & tringinta imperio potitus.

Ac duos post omnium abdicationem potitus ipse se,

Dubium reliquit:

Majoremne laudem in Imperio, totquè regnis administrandis,

An in ijs simul omnibus relinquendis promeritus sit.

## F E R D I N A N D E III.

Iustitiâ Austriace,

Pietate Austriace.

Phosphorum tuum, cùm Sol sis, jam inde ab Oriente adoravimus,

Si Cælum inscendere voles,

(Nam & tu humanis major, jam Maximo par es)

Serò inscende,

Ne frustra Phosphoro nunciante diem in Oriente laboremus.

Vel si hæc animo sedet sententia,

Terris migrare, quas jam excedis,

Et quæ te non sapiunt ampliùs,

Ita serò excede non serò;

## Vt in Filio Tuo FERDINANDO IV.

Qui Solis genus est,

Die


Die nunquam Auftriacâ careamus,  
Eaque nobis aternùm splende,  
Quà dignus sæcula vivere,  
Immeritus & ferò occidens,  
**CAROLI CASTORI**  
**POLLVX GEMINVS.**



CORONEL

DVODHILNICE

ATRIACURY





CORONÆ  
DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Octavus,

S I V E

FERDINANDI I.  
J V S T I  
Elogium.

EVCHARISTICON.

Quidquid nomen habet, nomini tuo se inscribat FERDINANDE,

Gratias tibi agat, quidquid tuis actum est gratijs.

Eucharisticon tibi accinat, quidquid à te vocem accepit.

Omnia tibi grata, sint tibi grata, etiam tu ipse.

Beneficienti omnia, benedicant omnia.

Impendant factis verba, manibus linguas, omnes linguæ.

Quæ norunt te sibi omnibus impendisse.

Concordet Latina ad numeros vocem suam illi concordia,

Quæ in te Cæsare eligendo concordavit.



*Convenère Duces, cum Pax captiva teneret  
Arma, quibus stantem fas est regaliter urnam  
Sortilegâ versare manu, Dominoq̄ potenti  
Augustum deferre iubar. Stetit auribus illic  
Arrectis, raptumq̄ animo cum supplice vulgus  
In Proceres, hæsitq̄ & vox, & vultus. At illi*

*Molem*

Molem immensam humeris, & vix tractabile pondus  
Ingenti complexi animo, pervolvere sortes  
Incipiunt, magnumq; sibi decernere Regem  
Soliciti: nam terror inest, socioq; duellat  
Spes animi suspensa metu, formidine sensus  
Fluctuat, & dubios rapiuntur vota per æstus.  
Tantæ molis erat Romanum adducere Regem!  
Sed Superi vetuere metus: nam jaspide stratos  
Tantisper thalamos, scintillantemq; relinquit  
Sidereo fulgore tholum, datus advena terris  
Aliger: hic animos lenit, blandumq; propinat  
Nectar, & ambrosium distillat voce falernum.  
Nec trepidate Duces: vobis (aduertite mentem)  
Fatidico cæli fixas in cardine leges,  
Quas sanctæ jussere manus, meliore Sybillæ  
Ex adyto referam, mediæq; Tonantis ab vrbe  
Protractos tripodes, & non violabile sacrum  
In patulo referabo die. Si Curia Regem  
Poscit, Teutonijq; vocant ad sceptrâ Quirites;  
Augustum redimite Ducem. Venerabile detur  
Sed caput, ô Proceres; rutilo splendore comantem  
Imperij galeam, Latijq; insignia regni  
Illæ gerat, quem celsa petens fastigia virtus  
Altè Dardaniâ Capitolî ostendet ab arce  
Regnatorem animi: qui se, quibus arbiter Orbem  
Temperat, ipse suis addictum legibus, æquo  
Marte regat, tantumq; sibi Dictator, & idem  
Rex vetet, aut propriâ mandet Dominator in aula  
Pectoris, ut nimio sua nec temerarius arcu  
In sublime spei jaculetur vota: nec imas  
Solicitante metu socors irrepere valles,  
Confundat trabeas. Vili mihi dicite Regem



Exemptum populo, quem ponè venustior auro  
Scintillet Pietas, cautæ Solertia mentis  
Sic agat excubias, ut non stimulante tumultus  
Et turbas Boreâ, subito expugnata perempti  
Concidat arx animi. Qui sic meditetur in hostem,  
Ut primum impietas clausas sibi sentiat acri  
Obsidione domos, donec se compede vinctum  
Tartarus, anguiferiq; gemant servire tyranni.  
Hunc Proceres mihi posco Ducem: qui fortè revulsis  
Postibus Odrisium, si quando assurgat in enses  
Barbarus, ut nostro pallentem funere scenam  
Instruat, hic alium pavidus formidet Achillem,  
Qui torvas acies, qui non cedentia morti  
Agmina, per rutilos armorum lumine campos  
Ducit, & ensiferas hortatur voce Phalangas;  
Ut trepidet, nolitq; suo iam fidere Marti,  
Antonitus meliore manu; quæ talis in hostem  
Arma virumq; movet, toto love fulmen adactum  
Sic vibrat in cuneos; ut si vel Caspia rupes  
Circum pectus eat: non vel Marpesia cautes  
Protegat immunem, nec Cæsare bella vehente,  
Obsistat toto fabricata Pyragmone Gorgon.  
Hunc Proceres, hunc posco mihi deducite Regem.  
Qui licet armigerum generosiùs hauserit alto  
Martem animo, facilis quò fas & jura vocassent,  
Ferre manum, & nunquam stimulado parcere ferro;  
Pace tamen sua bella colit, pariterq; quietis  
Sanctior alternis illum cortina diebus  
Sevocat, ut ferri vacuum, & tractabile pectus  
Advertat studijs, quibus indignantia turbis  
Otia, & infestis irascens Regia curis

Pascitur, & blandæ spirant cum mænibus vrbes.  
Hunc mihi posco Ducem: cuius sic dextra mucrones  
Ventilet, ut pariter fraterno parcere docta  
Sanguini, inexpletos mansuetâ lege furores  
Temperet, ipsa sui vindex, utrumlibet omni  
Arte sciens, & iura suo dare iusta Gradiuo,  
Cum tristes sonuere tubæ: rursusque remotâ  
Ægide, paciferam lætis præfigere frondem  
Fascibus, ut posito litui terrore, remissus  
Dignetur consulta furor, dextræque minantis  
Impetus in medijs oleam sibi vendicet armis.  
Quòd si hæc ô Proceres vestras sententia mentes  
Consilio sapiente tenet, si talis ad arces  
Imperij, & justis moderandum legibus orbem  
Quæritur, in medio qui fulgeat agmine Cæsar;  
Ne trepidate Duces, meus en **FERNANDVS** in armis  
Excubat, hic medius pacis, bellicque, vocetur.  
In vestram juratus opem. Meritumnè tenaci  
Differtis diadema manu? quin ducite captum  
O Proceres; qui vela suæ surgentia sortis  
Colligit, & Zephyros nimum sublimè ferentes  
Exosus, patrium remis propioribus optat  
Legisse Aeolio sine turbine littus, amatque  
Privatum lustrare diem, quam Solis in ortu  
Augusti positus toto radiare sereno.  
Dixerat hæc: illi ingenti clamore superbi,  
Assensère Duces, resonat plauditque jocosus  
Collis, & impulsæ modulantur carmina rupes.  
Quin etiam vitreo virides de gurgite Nymphæ  
Prosiliunt; pars dona ferunt, pars conscia fati  
Arcanum secreta canunt; hic ille Quirites

Cæsar

Cæsar, hic Augusto non inficianda Parenti  
 Progenies, vestris natus pro mœnibus Hector.  
 Scribite Teutonidæ, memoresque incidite carmen  
 Rupibus, & Pario æternum mandate colosso.  
 Tuquè meus **FERNANDE** nota: tibi posthuma Vates  
 Fata cano, signa venturas Iaspide sortes.  
 Vix propè Germanas Aquilas, meritumquè capesses  
 Laurigerâ diadema manu; jam dextra probrosum  
 Bellatrix ultura nefas, hostisque calentes  
 Edomitura minas, quidquid malè stantibus annis  
 Concidit, aut laceri distractum à corpore regni  
 Infames subjicit torvi Prædonis habenas,  
 Eriget, ac veteres patriæ fulcire ruinas  
 Belligera virtute potens, sublime parabit  
 Culmen, ut impositis solidâ de rupe colossis,  
 Stet melius firmata Domus, possintq; senectâ  
 Depositâ, virides placidum, juvenescere terræ.  
 Qualiter hybernâ, postquam tremefecerit Arcton,  
 Herbifer arborum Dominus, Maiusquè tepentis  
 Pictor agri: rursus vitali Phœbus inaurat  
 Prata die, canosque iubens migrare Decembres,  
 Hic fontes aperit, pigrique silentia rumpit  
 Fluminis, ut questus, & prætereuntia clemens  
 Murmura percipiat: teneras oppignorat illic  
 Constanti pro vere rosas: neu languida parcum  
 Incusent fors rura Patrem, flaventis aristæ  
 Spiciger exundat vasto super æquore turbo.  
 Ast ubi jam domitus discet post funera Mavors  
 Te dominante, truci leges imponere ferro  
 In regnis **FERNANDE** tuis; jam pacis amatæ  
 Exceptus gremio, generis spectabis aviti  
 Illustres animas, tantumquè in nomen ituras.

Ecce quis ille virum pacalis germen olive  
Ostentat florente manu? pro digne DEORVM  
Sanguis, & Indigetum quondam meriture supernum  
Pergamon, agnosco Romani lumina Regis.  
Huc propera FERNANDE meus; quem regia QVARTVM  
Optat, & armati cogunt ad sceptrum Quirites.  
Tu FERNANDVS eris: tibi post suspensa Gradiui  
Tympana, & affixos Scythicis in montibus enses,  
Teutonicis Proceres, Allemannæq; Phalanges,  
Augustum statuere decus: te gemmifer ambit,  
Et poscet Dominum Romanæ turbo Coronæ  
Confessus Regale caput. Quid amica tuorum  
Vota morare? veni. Tu tristi horrentia ferro  
Sæcula, & inclusum Rhodopæis cautibus Orbem,  
Excudes meliore manu, mundique novator  
Dædalus, aspicias iterum Saturnia Regna  
Te placidum laudare Iovem, qui nescius atri  
Turbinis, armatum jubeat discedere fulmen,  
Impatiens regnare diem, quem sentiat ortum  
Progenitore metu. Nam te regale tenente  
Culmen, in exilium pavidos aget aula timores,  
Et nullâ legum minitantum prole severum  
Incedens stipata latus, sine vindice telo  
Centum laurigeros agitabit ad æthera currus  
Virgo Themis, Regemque videns, quem peltifer optet  
Barbarus, è solio sic dantem jura paterno,  
Ut niveus morum post dilabentia candor  
Nubila, formoso tandem corrideat ore;  
Saturno regnata Seni reparabit in orbe  
Sæcula, & Elysij alium de nubibus annum.  
Famque sacras valles, & jam venerabile cernens

*Lucorum senium, viridi reparare juventâ  
 Instituet joviale nemus; memor indè jocosi  
 Fontis, oberrantes undoso murmure rivos  
 Perfundet meliore vado: nam mellea vitis  
 Lacryma, flumineo nimium miserata liquore  
 Spumantes pateras, distillantemq̄ rigenti  
 Amne cadum, levibus faciet connubia lymphis,  
 Nectaream junctura fidem, quo dulcor Iberi  
 Corticis attonitâ medius despumet in undâ.  
 Tunc quoque captivus funesto carcere Mavors,  
 Cogetur sua bella pati, fontisq̄ tyranni  
 Exitiale caput paci jurata securis  
 Demetet, ac patrio postquam transmittet Auerno  
 Tartareum spolium, narrabunt mutua luci  
 Gaudia, & alterni regem per carmina montes  
 Extollent, nomenq̄; tuum FERNANDE, Paterni  
 Cantantes sublimè ferent ad fidera Cygni.  
 Audis?*

**Τ**ὸν ΦΕΡΔΙΝΑΝΔΟΝ τῆς μέγαν, κ' εὐδαίμονα,  
 λέγωσιν ἄλλ', ἄλλοι τε βάζωσιν ἀτρομον,  
 δίκαιον ἄλλοι, ἄλλ' ἐγὼ, ὡς μὲν πρέπει,  
 τὴν θεοπίθμη Ἰππυραφὴν τῆ εὐσεβῆς.  
 Ευγνωμοσύνη τῆδε γὰρ ὄφλειν δοκεῖ,  
 τὴν πᾶσαν ἢ σεσίθακε Ρωμαίαν αἰεὶ  
 Λίβεις ἐκ ἐννευχῆ μὲν ἐρίφθη Στυγὸς,  
 ἧς ἔδην ἀγελώτερον αἰδοῖς τέρας  
 πῶτ' εἶχε, αὐτὴ τῶγε Ευμενίδων ἰῶ  
 βαφεῖσαι, πᾶσαν ἀγελῶσιν τῶ κρεῖται  
 Γερμανίαν πέρσασαι, καὶ τιμὴν Θεῶ.  
 Ταύτην δὲ ΦΕΡΔΙΝΑΝΔΟΣ Ἀρχηγερμῶν  
 καὶ Καῖσαρ εὐτυχῆσαι καὶ ἀπολεμῆν  
 θυλόμεν, ἔπει ἀν συλλέγων πλείσας μένει  
 λεγεῶνας αὐτῶ ἔσκε, τῆ ἸΗΣΟΥ ἔπ  
 ΕΤΑΙΡΙΑΝ εἰς τὴν ἑαυτῆ ἐπέλεγε  
 λεγεῶνα Ἀρχων, καὶ σέπλαις πύτυνη αἰεὶ  
 χάλειν τε καὶ ἔρωσι φελεπύξετο.  
 Ἦν ΦΕΡΔΙΝΑΝΔΕ σὺ περὶ ποσῆτις ποτὲ  
 χάλειν Ἰσοδωροῦ χάλειτ' ἢ Εταμεία;  
 Δὴ πᾶσαν ἦν ἀπ' Ἰππυράοις σεπλοῖς σέθεν  
 εὐνοίαν αἰδοθάνομεθα, καὶ πᾶσαν χάλειν,

ἢ ἐπὶ Θημελιῶς ἡμέας σεβασμόν  
 τὸ ὑστέρημα περὶέπει, πᾶσαν, ἔφην,  
 Σοὶ ΦΕΡΔΙΝΑΝΔ', ὀφείλομεν, ἢ εὐτυχῶς.  
 Διομολογῶμεν, τᾶτο πᾶν, ὃ νῦν ἔμεν,  
 Σόν ἐστὶ. ἀναγινώσκομεν κατὰ θυμῶς,  
 τῶν ΦΕΡΔΙΝΑΝΔΩΝ Καισάρων εἰς ἡμέας  
 χάριτας τε εὐνοίας τε μὲν πολυηχέῃ  
 σέλιγγῃ εἶναι ἀξίας, ὅν τ' ἔτι φιλεῖ  
 ψιθυρεῖ τε τᾶτα καλῶς, μάλλον δὲ ὅμως  
 βυβλάμεθα ἐγκαλεῖσθαι ἅμιν τὸν λόγον  
 ἐυγνώμον, ἢ ἀγνώμονα σιωπὴν ἁμῶν.

Nil tibi perire debet, qui tuomet impendio fecisti, ut nihil periret.  
 Revocant beneficia tua, quicquid invocarunt.  
 Patere ut solvant, qui fecisti ut deberent  
 Imperium & Hispania:  
 Nam.

פֶּרְדִּינַנְדֹּס הַצֶּדִיק

פֶּרְדִּינַנְדֹּס הַצֶּדִיק בְּאֵר

בְּאֵר פֶּלֶאָרְשֵׁי סְפָרַד

Et illa quidem, cui tu primum dedisti, cum primum beneficium  
 accepisti,  
 Fatetur se vivere, quod tibi dederit vitam,  
 Non mediocris orbis honor natus es, ubi nihil mediocre nascitur,  
 Ibi ortus es novus Sol, ubi Sol vetus occidit.  
 Vnde in ipsos usque decurrens Septem triones, ubique facis  
 Meridiem Divinae lucis:  
 Ita nempè non solis Hispanis intra suosmet limites nascuntur  
 Reges Catholici.  
 In communi Provinciarum ambitu,  
 Quo à se quævis FERDINANDVM nasci ambiebat,  
 Sola Hispania causam obtinuit:  
 Et mirabili eventu: Qui omnibus natus est, non est tamen omnibus  
 natus,  
 Tantum regnum in unius cunas requirebatur,  
 In cujus folium Romanum destinabatur Imperium.  
 Nescivisses tunc quisquis etiam puerum aspexisses,  
 An in sinu suo Hispaniam FERDINANDVS, an in sinu suo  
 Hispania FERDINANDVM contineret?

Tan-

Tanquam ad restitutionem teneretur Hispania,  
Austriæ restituit Regem,

Et Iustitiæ satisfecit Iustus Princeps.

In quo tamen nescirem, an onere se exolvat suo?

Quando unum pro tribus. Regem pro Regibus rependit;  
Nisi ipsa iam tunc in uno, eoque Primo FERDINANDO,

Tot velut à longè aspexisset FERDINANDOS,

Quot nos non aspiciamus tantùm, sed etiam fruimur:

Quorum quisquè non unius, sed multorum Regum est compendium.

Liberalis planè erat,

Quòd vel solum hoc Austriæ nomen inscripserit,

Quod nemo loqui potest, quin omnes loquatur gratias.

Tu verò à me si requiris Austria, Ottomannico robore propè fracta:

Principem Fortem quis inveniet?

Audi, & disce.

Procul & de ultimis Finibus pretium ejus

Toto dissita Pelago Hispania hunc tibi dedit.

Quem nisi illa dedisset, iniqua: quem nisi tu accepisses, infelix eras.

Et tu itaque Austria grata esto,

Et beneficium inscribe saxis, si quæ adhuc in muris tuis habes,

Quos nisi FERDINANDVS servasset, non haberes.

Cogita, quid sit FERDINANDOS in sinu tuo commorari etiam,

Quando eos vel appulisse tibi tanti fuit, quanti tu ipsa tibi es.

Nondum aderat, sed adesse tantùm dicebatur FERDINANDVS:

Et jam non abesse tantùm dicebatur,

Sed planè aberat Ottomannicus turbo.

Scilicet, quando Sol oritur videri, Luna desinit,

Et tantò majorem Ecclipsin Luna patitur,

Quantò Sol ei magis conjungitur.

Totam servat Provinciam unus Iustus.

Cùm ad quinque olim urbes servandas tot Iusti requirerentur:

Optimè apud amicam Austriam audiat illud nomen;

Quod audire hostes Austriæ non possunt.

Post excussos assultus super vicenos aliquot,

Cùm Vienna se servasset FERDINANDO,

Merebatur, ut sibi eam servaret FERDINANDVS.

Erras Ottomanne, quisquis Viennenses portas adire paras,

Nulla ibi *Porta* est Ottomannica,

Omnes sunt Austriacæ.

Hoc ipsum fortè cum nôris, muros quatis;

Ut

Ut portas tibi facias, quas non invenis.

Frustra :

Muri non cadunt, qui stant pro FERDINANDIS:

Qui tamen ipsi si maximè cadant,

Næ tu mihi eos sine tuo periculo vix adires;

Lapidibus enim medius,

Vix credo inde exires ampliùs,

Quin totus vertereris in lapidem:

Qui ne venam quidem habes, quæ non sit faxea:

Quod tibi si acciderit,

Dic quæso.

Advenire FERDINANDVM cum audieris, quomodo fugies?

Vide, quantum vel tu FERDINANDO debeas,

Qui ijs te à muris depulit, ante quos major tui pars iam perierat.

Ultra quinquagies mille cadavera ante Viennam reliquisti,

Et tibi planè Vienna facta est altera Gehenna,

Quæ FERDINANDO florentissima erat *Vinea*,

Quam tu *ferus aper* demoliri moliebaris.

Hoc erat primùm signorum, quod fecerat salvator Austriæ

FERDINANDVS,

Aquas tribulationis,

Quæ intraverant usque ad animam Austriæ Viennam,

Vertit in vinum lætitiæ,

Quando fecit:

Ut federet quisque *sub vite* suâ in abundantia *pacis*.

Et nondum attollitis portas Principes,

Et elevamini portæ triumphales,

Ut introëat Rex gloriæ?

Qui planè erat *Dominus Virtutum*.

Agat ipsa virtus FERDINANDO gratias, quòd pretium acceperit  
à tanta manu.

Vulgare est virtute Regi,

Plusquam regium est, etiam virtutem regere.

Ita suas ipse virtutes moderabatur, ut nescires,

Illenè Princeps Virtutis, an ipsæ essent Virtutes Principis.

Certè nullâ in ipso nisi Princeps Virtus erat,

In nullâ ipse Virtute non Princeps erat.

Harum nullam nomino, ne putes ullam defuisse:

Tu potius vultum illius aspice, cui virtus prospicit ex oculis,

Et color planè Austriacus



Castitate candidus, pietatis fervore rubens:  
Qui uterque, cum esset pulcherrimarum Virtutum color.

Plus tamen erat,

Quam tantum color *Virtutis*.

Atque hanc, ut ipsa primùm Virtus aspexit,

Visa est sibi seipsam esse jam venustior,

Neque tam FERDINANDVM ornasse,

Quam à FERDINANDO ornata esse.

Igitur pulchritudini suæ, pulchritudinem suam grata dedicat,  
Virtus FERDINANDO, Virtuti FERDINANDVS.

Et in ambitiosam utriusque gratitudine,

Arbitra accedit Ecclesia.

Et in hunc ferè modum dicit sententiam:

Multum FERDINANDO Virtus, multum Virtuti FERDINANDVS debet.

Ego debeo plurimum Virtuti FERDINANDI.

Fabula fuit, fesso Atlanti succolasse Herculem,

Veritas est.

In Ecclesie Cælo sustentando,

Herculi Germaniæ, Carolo Fratrem succolasse FERDINANDVM.

Scis quanto cum onere?

Molem hæreseos una sustinuit Ecclesia,

Ecclesiam sustinuit ipse.

In unam omnes irruebant, ab omnibus illam eruit unus.

Secura illa sedit ad claves

Quamdiu securus iste sedit ad clavum.

In unum hortum, uno simul tempore, bini venti spirabant

Aquilo & Auster.

Huius pluvie, illius tempestates mitigabant.

Si Anseris excubiæ Romanam servarunt,

Quid non Romana speret Respublica?

Ab excubijs Aquilæ illius grandis,

Quæ Romanum evolavit in Libanum,

Et desumpsit medullam Cedri plantatæ in Domo Domini ab Ignatio,

Et tulit in terram Austriam.

Quando plerique à Romanâ societate dissidebant,

Quid melius in Austriam tulisset Ferdinandus?

Quando speciali scelere, à summis clavibus

se eximebant,

Quid evocasset utilius? quam eam,

Quæ speciali vinculo summis clavibus se obstrinxit.

Nec planè aliud ferre ille poterat,

Christo Duce,

Quàm IESUM:

Nec aliud Christum Ducem comitari,

Quàm IESU societas.

Hæc tibi debet FERDINANDE, quidquid illi Austria debet.

Grata augustis tuis cineribus, Cineres tibi dicat Claudij Iaij;

Quos Austria, ipso suo in corde, hoc est Viennæ sepelivit,

Artemisia Catholica.

Sunt hi Cineres ex illo adhuc incendio superstites,

Quos parvâ in decem cordibus scintillâ excitavit Ignatius.

Cuius igne an etiam flagrarit Ferdinandus? vel inde intellige,

Quòd eodem tempore, quò gravior in Ecclesiam flamma accendi  
referebatur,

gravissimâ ipse cœperit feбри æstuarè;

tanquam diceret:

*Quis Scandalizatur, & ego non Vror.*

Vt planè iam nihil mirer:

Quòd cùm morti vicinus esset, alio se nomine compellari noluerit.

Quàm FERDINANDI:

Hoc enim unum Augustum Nomen,

Est universi in Romanam fidem fervoris compendium.

Nolebat se dici Regem, ubi primum sensit,

*Regnum suum non esse de hoc mundo.*

Ab uno hoc nomine FERDINANDI,

Cùm tumulo vicinus esset,

Suos voluit signari cineres:

Vt sciret orbis,

Tot his ex cineribus prodijisse Phœnices,

Quot prodire FERDINANDI,


Quorum quisquè cùm sæculi labor sit,

Facti sunt omnes unius sæculi munus.

Ita,

*Naturæ parsimoniam supplevit Austria liberalitas.*







CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM  
Radius Nonus,  
S I V E  
MAXIMILIANI II.  
PRUDENTIS  
Elogium.  
GENETHLIACON.

Austria cunas appara,  
Sed MAXIMILIANO dignas. Calendis *Augusti* nato,  
*Augustas* jube :

Talibus enim cunis *Augustus* nasci debet,  
FERDINANDI Primi, CAROLI *Quinti Maximi* Fratris, Filius,  
Hoc Parente non poterat nisi MAXIMILIANVS nasci.

Ubi non Cæsaris Astrum, sed astra micuere,  
Non debuit nisi partus esse Cæsareus.

Ita in cælo Austriaco, quod nulli nocti obnoxium esse potest,  
Ne ullus adsit occasus, sed perpetuus meridies,  
Vicissitudinem in Oriente malunt.

Quin nulla vicissitudo est, ubi constantia Oriendi,  
Et sic alter cessisse videri potest, ut in altero oriatur.

Annus fuit M. D. XXVIII.

Unus ex ijs crediderim, quibus aurea sæcula fluxere.

Infelix enim esse non potuit,

Qui sic felicissimè parturivit:

Ut cum suus orienti Sol nasceretur,

Suus Oriretur occidenti.

Vterquè idem, & alius à Tethy, suâ Austriâ,  
 Quæ cùm Serenissima sit,  
 Etiam Hesperia, & potuit, & potest lucem adferre,  
 Genti aliàs propè noctem sitæ,  
 Si stellæ quandoquè humi micuère,  
 Primæ ortæ Austriacis sunt.  
 Quin Austriaci, ut stellæ non sint,  
 Quorum Domus Orbis firmamentum est:  
 Vicem tamen omnium syderum agunt,  
 Solis maximè, qui quacunquè incedit, illustrat.  
 Sub *Carolo Quinto Maximo* MAXIMILIANVS,  
 Major MAXIMO & ÆMILIANO,  
 Miles esse didicit, à nemine melius:  
 Nam, qui quoties pugnavit, toties vicit:  
 Et sæpius quàm ferrum strinxerit, triumphavit;  
 Non potuit nisi triumphos docere.  
 Aliud MAXIMILIANVS non discere,  
 Tanti magistri auspicijs discipulus, triumphalis etiam.  
 Miles factus, rudimentum bellorum ponit in Regno:  
 Palæstra Hispania fuit.  
 Nemo dignior sceptro, quàm Miles.  
 Militia enim disciplina imperandi est.  
 Hoc dispar, quòd illa Marte, hæc arte triumphet.  
 PHILIPPO MAXIMILIANVS successit:  
 Nomen dispar, res eadem;  
 Vix enim Austriaci ultra nomina dissident.  
 Quibus eadem Virtus Magistra, mores,  
 Fortuna & Majestas cunas instruit, orbis aras,  
 Accessit Felicitati regni Maria secunda Austriaca,  
 Hac *Friderici Quarti pacifici* Abnepte, *Pronepte Maximiliani Primi*,  
 CAROLI Quinti *Maximi* filiâ, nuru FERDINANDI Primi,  
 Quid Hesperia desperet, quid non speret?  
 Non jam occidens, sed meridies regnorum:  
 Additâ enim soli suo Cynthiâ, dies micabit sine Vesperè,  
 Eâ felicitate radiorum,  
 Vt in plenissimâ luce etiam stellas numerare fas sit,  
 Solis seu filios, seu filias.  
 Triumphabit occidens se miraculis genitum,  
 Et novissimo miraculo id firmamentum nactum, quòd ortum  
 sine occasu habeat.  
 Evocatus à Parente MAXIMILIANVS

Ioannem Sigismundum Transylvaniae Principem Solymani clientem,  
Barbaricis copijs Pannoniam invadentem,  
Vicit, fugavit indubiâ Victoriâ.

Nam MAXIMILIANO assueverat,  
Cum sub *Carolo Maximo* non pugnâs, sed triumphos disceret,  
Tam Victor, quàm miles.

Hinc, qui ad laureas evocari debebat, evocatur ad coronas;  
Et qui triumphare debebat, iubetur imperare.

Tanti interest scire gladium regere, ut scias sceptrum:  
Nam, qui in hostes aptè vibratur mucro, civibus asyllum est,  
Et qui miles vincit, Victor tuetur, & regit,  
Cruentus hostibus, civibus amicus.

Hoc Austriacis agnatum est, ut nemo illis hostis sit,  
Nisi qui subditis, & qui D E O:

Arma illi ignorabunt,  
Quàm diù nec D E O, nec civibus quisquam inimicus erit.  
Ita pacem suam cæli pacem putant,

Nec aliâ dignantur lauru coronari, quàm quæ Dei triumphus sit.  
Uno eodemquè anno ter coronatur,

Rex Bohemiæ, & Ungariæ, & Imperator:

Hoc præter Albertum Secundum uni MAXIMILIANO contigit.  
Applaudere novæ gloriæ vetusto idiomate,

מבטימיליאנוש ב חבם :

בשנת אהרן שלשה עטורת

ביום ברסר לבן וצדק :

Nosce quantus sit, quem orbis non parem sed majorem censuit,  
Dignum tanto Cæsare suffragium.

Abdicanti CAROLO, succedenti FERDINANDO Parenti  
MAXIMILIANVS

Substituitur,

MAXIMIS MAXIMVS.

His humeris tutus orbis resederit:

Nam toties laureati fulmen cavebunt.

Solus Solymannus contremuit non dignum his humeris onus,  
Et cecidisset,

Nisi superstes esse deberet, qui Austriacos timeat,  
Suis amabiles.

**Ε**Ι καὶ ποικῶ σепτὴν πλευρῶν  
ἰσπερασπιστῆς πέλουσι πυκνοί.

Καὶν σηλαίει ἰσπάτας θύρας  
τῶ στραπώτης ξίφει ἑνοπλῶ  
εἰ μὴ αἰδῶ οὐκ πῶς ὀκείνους  
Σφίγγει ἔρωσ εἰς πὴν βασιλῆα.  
ἔυτε ὁ Νότῶ ηἰρύξει ἀέλλη,  
Σὺν στραπώτῃ ἰσπερασπιστῆς  
Ἀμὶ ἀγνώμων Φεύζει ἀνάπαλιν.  
Γνα βιοῖς γούν ἀφρόντηςῶ,  
Δορυφόρος σε ἢ αὐτὸς ἔρωσ  
ἔσω, ἢ ὧν ὁ ἔρωσ ἀρχεῖ.  
τότ' ἀκυρὰς ἀικαμένη ὀργὰς  
ἐψήσει, τριγλώχνα αὐτῶσ  
βέλη ἀνωθεν Ζεὺς ὀμοκλήσει.  
Αὐτῶσ Ἀρης βαρβαρόφωνῶ  
ξίφεια σείσει, εἴτε σίδηρον.  
Ἀπρηκτῶ ἔσσονται ἀδου ἀπειλαί.  
ὄχυρὸς σήσεις κῶρᾶ τὰ τώνσων  
Ἡπρησ. Τούτοις ἔσανεν ὄπαλοῖς  
ὄχυρὸς Καῖσαρ ΜΑΞΜΙΔΙΑΝΟΣ,  
ἐπ τῶν ἐθνῶν ὅτε τὰ ὄπλα,  
παικπόνων ἔβρεμον κύκλω.  
Καὶ θεηκῶν ὅταν ἡ μαρία  
τῆσ διῆ Σελήνης σήματᾶ πάντῃ  
Θεῖσα, σίδηρον ἀνεκρῶσαινε.  
ἔσανεν ὄχυρὸς, ὅπ τῆν πλευρῶν  
ἰ ἔρωσ Ἀρῆ πάντῶσ διέδρασε.  
ἰ ἔρωσ διήπασ πάντῃ τὰ νικᾶ.

Mansit ergo Turcia theatrum fortitudinis Austriacæ,  
In quô ipsa & Heros & Imperatrix, & famæ suæ Domina,  
Ageret ad plausum plusquam totius orbis Christiani.

Sed ne Solymanus vel fugeret, vel caderet,  
Prævertentibus interitum fati,  
Et fugæ & morti eripuerunt.

Nobilius factura funus, si manu MAXIMILIANI cecidisset:

Cuius fortitudo, cui nemo tunc par fuit,

Pretiosa fecisset, seu vulnera, seu funera,

Quòd heros dignatus sit vincere, qui vinci non poterat.

Illi se deberi victoria falsa est, cum citra discrimen vinceret,

Solymanno adeo adversa fuit

Ut nec victoris gladium, nec vultum ferret,

Adeoque abegit in fugam,

Ut plusquam citato impetu planè è vitâ fugerit.

Suum Ducem exercitus secutus imbelli fugæ superfuit:

Hoc illaudatus,

Quòd potuerit se fugisse reminisci,

Nec



Nec didicerit laudabili magis exemplo sic fugâ se proripere,  
Ne ignominia superesset.

Constantiâ Serinij Comitibus in defensione Sigeti,  
Et tua MAXIMILIANE felicitas Pæana accinant;

Quin tu ipse tibi;

Nam major est,

Quàm ut ab alijs, nisi à te dicaris, vel scribaris, MAXIMVS.

Tantæ Panegyri solus tu sufficis;

Quidquid enim tantum miramur, & mirari possumus,

Satis non laudabimus.

Te milite pax firma fuit, te Imperatore Imperium,

Imò orbis;

Nisi iam trita illius essent infortunia,

Et tam infelix esset, quàm volubilis,

Cujus infelicitas tuæ felicitati non conveniebat:

Et quia Victorem te maluit, quàm Imperatorem,

Tuæ Virtuti ingratus.

Qui fovere magis amabas, quàm cedere,

Plagas habuit pro pertinaciâ, qui habuisse poterat pacem.

Sed & hoc virtutis tuæ erat, & felicitatis illius, licet infelix esset,

Quòd vel sic dignabaris prodesse.

Et ad amabilitatem plagæ fuit, quòd à te infligeretur.

Ita MAXIMILIANI Fortuna imperio adversa esse  
non poterat.

Nam & ille à Majoribus suis didicerat:

Sic imperare, ut amaret, amari ipse dignus.

Sic præliari, ut defenderet, Asylum orbis.

Nec minor togâ, quàm sago sic imperavit MAXIMILIANVS,  
tanquam Pater esset,

Sic punivit, tanquam Iudex non esset.

Nempe faciliùs servantur leges, quæ non cogere, sed allicere  
videntur.

Nec amabilius imperium est,

Quàm quod dissimulatâ potestate, ne tyrannis sit, imperium non est:

Imò est:

Sapè vel nutus sufficit Orbi regendo.

Abi Archimedes, qui movendo orbi, nescio quæ spatia rogas, artis tuæ  
pretium facturus, quod non est.

Vnus MAXIMILIANVS uno nutu orbem emovit,

Sed in sua obsequia.

Non

Non poterat, nec debebat MAXIMILIANO nisi orbis flecti.  
Tanto Domino hæc obsequia.

Nam qui sic imperat, ut & Pater sit,  
tam meretur amari, quam honorari.  
Aulam suam Universitatem artium fecit, ipse linguarum universitas.  
Illi multi impares, qui multis par.

Cum omnibus audebat loqui, cum ipso pauci poterant.  
Ofor otij MAXIMILIANVS, etiam officinam esse iussit aulam suam.  
Primus hic esto Aphorismus Politicus, vel sic docente MAXIMILIANO,  
Labor.

Hoc imperia vegetantur, otio diffluunt.  
Et quo sanius moveretur imperium, momentum in corde posuit  
Aula sua.

Nam inde in membra vita propagatur, ubi fons illius:  
Nec aliunde funera Imperij, imò Monarchiarum processere,  
Quam quod hæc vitâ defecerit, quâ augeri debebat.

Otiô languet, quidquid viget labore,  
Et extra constantiam est, quidquid stagnat,  
Hoc est, incipit non vivere.

Veterum luxus pessumdedit imperia,  
Et malè feriata cessatio potentiam & maiestatem tumulavit.

Consilia experienciâ roborantur,  
Hæc absque labore non est,  
Neque vires veniunt sine Exercitio.

A Maximiliano orbis didicit, aut didicisse potuit perennare.  
Ut scias exempla regum, monita subditorum esse,  
Et ut leges etiam præcepta,

Nam nihil in illo fuit, quod æternitatem non mereretur,  
Quod consecutum non fuerit.

Virtus omniscio, fama omnilingui parentat.  
Imò non parentat, sed sic litat,  
Ut etiamnum vivat.

Ita raro moriuntur Austriaci,  
Qui memoriam hominum tumuli loco cum habeant,  
Sic conduntur, ut pretium immortalitatis sit,  
Quod nullus illorum oblivisci possit, nemo debeat:  
Sic vivunt, ut morte immortalitatem redimant.

MAXIMILIANE AVSTRIACE.

Et quia iam astris additus,  
Ex oriente ortum sydus matutinum,

Cæsarum sanguis, Cæsar ipse, hostium terror, amor civium,  
 Orbis Decus, Dive Auguste,  
 Partus Austriæ, Orbis felicitas.  
 Ex quô imperare cæperunt Austriaci, sceptrô sibi constiterunt ;  
 Ita, & quæ olim sic mobilia fuerant ,  
 Vt de manu in manum, sed alienam voluerentur ;  
 vel potiùs lentiùs ruerent, crudeliùs peritura.  
 Nunc in *Quadro* consistunt *Lapide*, plusquam *Angulari*,  
*Annulari* :  
 Qui non semel redux, eò, unde èminet, redit,  
 Fatidice calame, scribe quod voves, imò quod ambis, Evulga  
 Quod amas :  
 Quod orbis evulgavit :

à FERDINANDO III.

Ad *Quartum* non descendit imperium, sed ascendit.  
 Olim Austriaci, virtute ijdem, nominibus distinguebantur,  
 Omnes imperio digni :  
 Nunc nihil superest amplius.  
 Ita Virtus illis eadem, etiam nomen, imò & omen.  
 Hoc addo :  
 Æternitati Majestatis Vestræ, æternitati Imperij, imò  
 imperiorum,  
 Virtus vestra efficiet, imò effecit ;  
 Quid hæres calame ?  
 Quid cessas ?  
 Orbis approbat ,  
 Virtus vestra effecit :  
 Vt impostherum nulla suffragia valeant ; nam in uno eligentur  
 Omnes ;  
 Nec facilè improbabit in alijs, quod in uno approbaverit.  
 Omnibus eodem FERDINANDO.  
 Quod, ut fiat, consuetô MAXIMILIANO symbolô,  
 ominor :  
 DEVS providebit. Etenim :



*C*æsareas, mortale genus, quid quærimus aulas ?  
 Et fultum augustâ nobilitate thronum ?  
 Scilicet ille dies, quem sceptrâ micantia gemmis  
 Accendant, purus stat sine labe dies.

*Aut qui iura vago partitur, & imperat orbi,  
Iure suo totas possidet orbis opes:*

*Qui vè sedet solio Cæsar sublimis eburno,  
Vallatus totâ prosperitate sedet.*

*Fallimur, & nullo jaculamur spicula iactu,  
Ludibrium volucris spicula facta Noto.*

*Qui tali sua vota jactit temerarius arcu,  
Vota per Æolias fert abitura vias.*

*Aut refugos croceo venatur in æthere cervos,  
Et desperatas littore captat aves.*

*Annè alios augusta petit sibi curia Reges,  
Qui versent docili regia sceptrâ manu?*

*Nempè Palatini cui creditur inclyta regni  
Purpura, ut æterno par diadema Iovi;*

*Ille suæ sic vota spei super æquore vasto  
Explicat, & medias navita plaudit aquas;*

*Vt captet Zephyros, quos non mortale tumescens  
Æolus in dubias præcipit ire vias.*

*Sed quibus à magno, jussus spirare, Tonante  
Incidit Elysiâ de regione favor.*

*Hic, seu turbatum furijs discordibus æquor,  
Misceat ereptum nocte nigrante diem:*


*Se regit, & nullâ pectus turbante procellâ,  
Dulcia securæ somnia pacis agit.*

*Candida, dum solum spirant præcordia Numen,  
Hic hærent patriæ spicula fixa spei.*

Seu lethum intentet canibus stipata cruentis  
Scylla, feros tacito suspicit ore canes.  
Ac velut Æolio tremefactum flamine germen  
Despicit, arboreas dum ferit aura comas.  
Tali lege meus pandit sua carbasa Cæsar,  
Carbasa quæ totâ promovet Auster ope.  
Dum quidquid socio discors movet agmine turba,  
Infra animum docili dexteritate locat.  
Edoctus fidisse DEO, cui regna dicati  
Pectoris, & plenos tradit amore sinus.  
Huic ubi Cæsareas nil anceps credidit arces,  
Omnia fortuitæ discutit arma necis.  
Fortunamquæ suo non æquam adstare duello  
Ridet, ut infracti languida tela senis.  
Imbellesq; minas, & quæ Rhamnusia torquet  
Objecto clypei margine tela capit.  
Lethiferumq; sibi parat inde, ac fulminat enses,  
Quò metat oppositum Martia dextra caput.  
Scilicet ut duris quæ tonsa bipennibus ilex,  
A ferro geminas ducit, & auget opes.  
Aut velut Isacijs, quæ floret palma Viretis  
Palma, manu pressum non positura caput.  
Aude Carpathio totum demergere Ponto,  
Pulcher ut è vitreis surget Eòus aquis.  
Ad luctam, bellumq; voca: pugnantis ab ipsâ  
Cuspide divulsam subtrahet ensis acum.  
O decus Austriadum! magnis ô dedita Divis  
Pectora, quæ totum iam sibi Numen habet!

*Nec patitur dubiam Dominis illudere sortem,  
Quosq; vehunt trepidos aspera fata metus.  
Nam sic stelliferi statuunt prætoria Regis,  
Et falli indocilis Numinis urna jubet.  
Pro populoq; Deoq; suis qui regna gubernant  
Legibus; his ater non valet ire dies.*









CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM

Radius Decimus,

S I V E

RVDOLPHI II.  
TERRORIS ORBIS  
Elogium.

I M A G O.

Huc Colores sine pictoribus,  
Imago hæc audiri debet, non videri.

Huc pictores sine coloribus:

Veritatem non imaginem pingite,

Quisquis hanc imaginem volet pingere, non aspiciat,

Quolibet sui puncto pungit, qualibet umbrâ terret.

Quolibet colore excolorat, qualibet lineâ lituram facit.

Qualibet vitâ exanimat,

Denique RVDOLPHI hæc imago est,

Et superscriptio:

TERROR ORBIS.

רודולפוש בן אימיה הארצי:

אברהם עזריאל וצדוק אהרן

הורגים בסוד עזריאל וצדוק אהרן

Nunquam illi similem vidisti imaginem Spectator ?

Quid mirum ?

Quæ pretiosa sunt, non multum videntur.

Etiam aurum natura abscondit.

Audi tamen, & vide.

Quem diu videre desideravit Bohemia,

Et posteaquam vel semel vidit, credidit suum se habere Regem.

## RVDOLPHVM SECVNDVM.

His planè fides non erat ex auditu, sed visu.

In tota RVDOLPHI vita, tota erat imago Principis.

Cogita, quid ipso in animo RVDOLPHI aspexisses ?

Qui ne in imagine quidem, animi vultu, ullam habuit lineam, quam

Majestas non traxit.

Mira tamen res:

Eosdem oculos, quos hostes aspicere non sustinent, amici ambiunt.

Habent alij in uno vultu duos oculos:

RVDOLPHVS in duobus oculis habet duplicem vultum.

Cùm omnes æqualiter videt, non omnibus videtur æqualis.

Aspicit, ut aspicitur.

Quando barbarus in eum figitur oculus, configitur.

Quando humanus in eum destinatur obtutus, sanatur.

Plurimum de Sole habuit, plurimum de Nube.

Isto fulsit, & icit: illâ pluit & tonuit.

Etiam aureus Sol, quando Lunam aspicit, pallidam facit.

Sensit hoc à RVDOLPHI aureo vultu Ottomannica Luna.

Quando ad illius conspectum ita obmutuere Turciæ Legati,

Vt ne verbum quidem loqui possent.

Ante huius arma ne dubites excidet barbaro ferrum è manu.

Ante cuius vultum Oratori verbum excidit mente.

Qui coram RVDOLPHO loqui non possunt, contra RVDOLPHVM

Vix certabant.

Basiliscus solùm videns exanimat.

Hæc Austriæ Aquila,

Et videns, & visa exanimat.

Sed non nisi sinistrè videntes, non nisi sinistrè visos.

Non sunt Solis filij, filij Lunæ.

Hinc cùm omnibus suis partibus Sol det animam aspiciendo,

Illis animam eripit aspiciendo.

Inter barbariem non potest nisi nova esse humanitas.

Et quid mirum, quòd illa hanc tantopere admiretur,

Vt

Vt non sit ultra spiritus in illa?  
Tam acuti dicebatur esse oculi RVDOLPHVS,  
Vt sensa videret, priusquam verba audiret.  
Cum hoc Orator ex oculis colligeret, satiùs siluit,  
Ne verba diceret otiosa.

In eo Principe, qui totus visu dignus erat,  
Nullum invenit lingua negotium.  
Redi ad tuos Ottomanne, obiisti legationem tuam,  
Nihil dicendo, nihil audiendo, sed videndo.  
Dic tuis, te vidisse RVDOLPHVM inter suos sedentem, nec te loqui  
potuisse.

Vt intelligant, quid facturi sint, si viderint  
RVDOLPHVM pro suis stantem.  
Iam scio in Austriacis vultibus perpetuam esse ætatem,  
Hoc est serenitatem, & fulmina.  
Primum tonitru sensit, qui jam parabat detonare Orator,  
Incepit ille Orationem suam à motu, etsi factus immobilis,  
Propè in saxum obriguerit.

Qui velut è contrario in RVDOLPHI vultu aspexit,  
Quàm ipse Medusæ similis esset,  
Scis, cur ante RVDOLPHVM Barbarus non loquatur?  
Timet ne RVDOLPHVS respondeat.  
Ad hujus autem Amphionis vocem, quis non ad humanitatem  
traheretur?

Nihil ille loquitur RVDOLPHO, qui multa loquetur de  
RVDOLPHO.

Inimici Crucis Christi, etiam nomen illud timent,  
In cujus capite Crux Christi aliquando apparuit.  
Utinam in uno sui Vicario legato tota Barbaria oculos habuisset.  
Ut in uno tota exanimaretur.  
Quancquam satis animi illa perdidit,  
Quæ ex eâ die vix animi tantum habuit, ut RVDOLPHVM lacefferet.  
Hujus auspicijs etiam Ottomannica porta corruit,  
Jaurinumq; receptum,  
De quo tota sic plaudit Pannonia.



*H*ucusque Mavors, & pede libero  
Vagatus ensis, penè Proponticæ  
Nos, turpe, Lunæ, nos Gelono  
Ludibrium famulare fecit

*Servire*

Servire vulgo: Vidi ego sanguinis  
Fluenta nostri, cum Danaëide

Hauriret urna, cum probrosi  
Ad Rhodias Mahometis aras

Libaret omnis Regia Bosphori,  
Iam certa magni Pannonis inclitas  
Frenare turres, jam ruinas,  
Et tragicum dominante ferro

Parare funus: nî Mareotici  
Canis pudendum crimen, & imperi  
Ferale monstrum, nî cruentum  
Odrysiæ Calydonis hostem

Fregisset Hector, Porphyrioneis  
Fatale nomen Thracibus, Austrij  
**RVDOLPHVS** æternum Gradivi  
Præsidium, domitique præsens

Servator Hunni: qui Rhodopeicæ  
Cum plena Lunæ cornua flentibus  
Videret è Rabæ viretis  
Threijcij tumidum tyranni

Vibrare fulgur; vivimus Austrij?  
(Dixit) vel alter nos sibi victimam  
Ducit, triumphatasq; torvis  
Inferias meditatur umbris

Predator hostis? prò pudor urbium!  
Regniq; Lunâ sospite, Pannonis  
Captiva Majestas, meæque  
Exitium populare Troiæ!

At si cruentum finitimo sinu  
Feremus hostem? signa ego barbaris  
Affixa delubris videbo,  
Et Tyriâ sine cæde raptum

Spectator ensem? credite Martij  
Cives, theatro fabula luditur,  
Quam serus exutis cothurnis  
Excipiet sine laude Vesper.

Semel rebellis ludere Bosphorus  
Cum cæpit almo non sine fænore,  
Nostrisque dextrè provolutam  
Pro jugulis agitare sortem:

Si rursus actâ jecerit aleâ  
Suis secundum lusibus Herculem;  
Potest secundum subjugatus  
Panno sibi trepidare fulmen;

Et ni citatò surgimus impetu,  
Primoque diræ cladis in ostiò  
Tenemus immanem solutò  
Poste feram, volucremq; sævi

Moramur alam turbinis; intimis  
Eheu nefandum iam penetrabilibus  
Fovemus hostem, jam Gelonus  
In mediâ sedet urbe Cæsar.

Frustra furenti opponitur alveo  
Adversus agger, cum semel impulit  
Ripas reluctantes, & undam  
Victor agit, fluviumque totis

Exercet arvis. Nec patrijs tamen  
Hâc lege dico Verba Quiritibus,  
Vt fortè Riphæi timentes  
Arma Ducis, Libycosquè Lunæ

Pallentis arcus, plus licitò malè  
Terrore peccent: cui semel excidit  
Abjectus umbo, quos avitæ  
Destituit fugitiva virtus

Furorquè dextræ, jam miserabili  
Cessere fato. Me duce Thraciæ  
Regnator oræ, quam dolosa  
Fraude tenet sibi Victor urbem,

Larvis litando sanguine proluat,  
Magnamquè diris manibus hostiam  
Almannus adverso mucrone  
Immolet, Indigetumq; sacris

Affundat aris. Dixit, & impiger  
Vim Sacrosanctis addere vocibus,  
Eduxit audaces catervas  
Ad domitæ decora alta Rabæ.

Quicumquè Regi terminus obstitit,  
Hunc rupit armis, cernere gestiens  
Quantum Gelonorum probrosis  
Agminibus, gelidâq; distet

Germanus irâ; qui procul obvium,  
Ut vidit hostem, sic pavidum gregem,  
Sic clausa palantis Tyranni  
In medijs agitavit arvis

*Armenta, qualis, dum vehit obvium  
Fortuna dextro turbine turturem,  
Venator exercet, cupitam  
Milvus agens per inane prædam.*

*Prò quantum acerbi sanguine Bistonis  
Sudavit Ister! tota rubentibus  
Ardere visa sub procellis  
Attoniti stetit unda Ponti.*

*Sic vindicato Thrace, Alemannias  
Victor scelesto sanguine proluis  
RVDOLPHE peltas, Martiæque  
Restituis sua templa Rabæ.*

*Quam si recenti trux Othomannides  
Pertentet ausu; sentiet alterum  
Victus Leonem, qui virenti  
Iam fremit, & meditatur ævo*

*Fatale bellum, jam Rhodopeiæ  
Frangenda Lunæ cornua destinat,  
Ut fregit Alcides subactum  
Perdomitis Acheloon undis:*

Ubi enim suis è tubis Austriacum nomen fama insonat,  
Non possunt non corruere Muri Turcico-Ierichuntini.  
Mira planè RVDOLPHVS imago est,  
Quæ lapides mollescere, homines lapidescere facit.  
Ex solo MAXIMILIANI Parentis nomine, vitare didicit  
Filius præcipitia.  
Hinc nihil unquam præcipitavit  
Austriacus, hic Cunctator Fabius.  
Omnia fecit ex consilio: periculosus judicans mente labi,  
Quàm pede.

Ob raram Sapientiam audire meruit,  
Salomon Austriacus.

ὅστις τὸ σπῆπτρον γυρῶν βασιλεὺς πολύμητος,  
νεύματι τὰς πύλας, ἢ τῷ πυκινόφρονι δῆμον  
συγκλήτω Διόγῳ, αὐτὸς κατὰ ἄσπρα ὀδύσει,  
ὣ κατὰ τὰς μεσάτας τε χόρους κλειτὸς βασιλεῶν,  
Ἡ κῆρυξ φήμη παρὰ βαίνοισι φανερώσει  
τοῖς δῆμοις πάντης μεγάλης βαλεῦματ' αὖ ψυχῆς.  
τῷ ξίφει τὸν ἄποσαπκὸν σφρέειν ἢ ἄπιστον,  
Ἡ τῆν τῶν βλαβερῶν ξωὴν ἐνόχων τε ἀναρεῖν,  
Νῆς σαπὸς κείνει, ἀγρίαν φονικῶσι τυφάνοις  
πῆν σκηρὴν νέμει, ἔς τέρπει τὸ κεχυμένον αἷμα,  
πῆν δὲ ἀσέλγειαν φρονίμω πυκνῷ τε μετώπῳ  
ἔργειν, τῷ τε μόνῳ βαρδύνειν τῷ νέυματι σρεβλῶς  
τῶν νυ ἄποσαπκῶν ἐυχὰς, ἐπέχειν τε ἐκείνας,  
Ἡ μεγαλωσύη ΡΟΥ ΔΟΛΦΟΥ Καίσαρος ἦτο.  
τῆτο τε Αυστριακῆς ἰσίου προτέρημα κρατείας,  
βήματ' ὅσα ἐδῶ, τόσ' ἐδῶ μαντεύματ' αὖ Καίσαρ  
θυμόσφ' αὖ δόλου, σφίαν σὺν τῷ τεγάλακτι  
πᾶσαν ἀπάντησας. αὐτῆ κόσμου χερδὸν ὅλον  
πῆν ἄρχην παρὰ Καίσαρ τέλ' αὖ ἀνεβήσας  
Ἄξιον οὐ ἐδρανον, ἢ εἶν' ἐδιδραξε ἀληθές.  
Σοφὸς κρατήσι ἄσρων:

Inter novem Fratres veluti totidem Musas,  
Ipse decimus velut Apollo, natus est Præses Sapientiaë.  
Primogenitus ipse in tot Fratribus,  
Dividebatur unus in omnes,  
Colligebantur omnes in uno.

Inter sex Sorores, veluti totidem planetas ipse septimus,  
Veluti solaris lampas, diem incepit in animo suo:  
Atque ut foli esset similior, nocti erat inimicissimus.

Quam, ut in Germaniam invehere moliebatur Hæresis,  
Publico decreto edixit,  
Vt ea, vel in die ambularet:

Vel Germaniâ suâ, hoc est, Regno Solis excederet,  
Priusquam Sol quater cælum emetiretur.

Nunquam ille veræ fidei meridie excessit.



Hinc illis hominum umbris ne tutæ essent;

*Fecerat exiguas hic Sol altissimus umbras.*

Nemo sub RVDOLPHO tutus erat, à quô tuta non erat  
Veritas.

Quos violentus turbo afflavit Belgio, nec tamen palliô nequitia  
spoliavit.

Hos Solaris radius urere in Germaniâ cæpit,

Et Pallium detraxit vel invitis;

RVDOLPHO Cæsare felicior Germania Ægyptô erat,

Illa in Sceptris oculum habuit.

Ista eum Regem, qui totus erat unus oculus.

Et quid mirum si tot manus huic oculo servando se impenderunt,

Vt inter tot bella ipse semper esset Princeps pacificus?

Qui oculi ritu sanguinem aspexit, sanguine se non imbuat,

Et ideo octavo jam anno pacificum Imperium RVDOLPHO dedit  
Coronam,

Principi Pacis.

Quod nomen ut dignius gereret edicto suo:

Longas illas cæli, & terræ inimicitias composuit.

Quæ mille quingentis octoginta duobus annis intercessère:

Novam enim temporum metiendorum feriem à Nicenâ Synodô datam  
revocavit.

Et ob factam iam decem dierum iniuriam soli satisfacit.

Cùm in omnibus liberalis esset, in solô tempore parcus erat.

Et qui illô nihil esse pretiosius noverat,

Inter trecentos sexaginta quatuor dies, ne undecim minutis jacturam  
facere voluit,

Æquum judicans non esse,

Ut quod *volat irrevocabile tempus*, illi etiam alas adderet.

Tempus non meretur, qui tempori deest:

Ille solus tempore dignus est, cui tempus deest.

Debet hoc beneficium Austria RVDOLPHO,

Quòd annus deinceps jure dici possit Annus Austriacus.

Non nisi felicissimi Soles orientur Austria.

Quæ prima Solis injuriam apud homines vindicavit.

Felicitatis signum DEVS esse voluit,

Si Sol decem lineis rediret.

Omni felicitatem ego auguror Austria

Cujus

Cujus beneficiò undecim lineis Solis cursus redivit.

Prima temporis mensuratrix Austria.

Dicite, an non nominari digna sit

Horologium Principum?

Cujus index utinam semper sit in meridie:

Et planè sic erit,


Non enim ponet tempus Austriæ metas;

Quia posuit Austria tempori metas.



COLONIA

DVORAK KARVM





# CORONÆ

DVODECIM CÆSARVM  
AVSTRIACORVM

Radius Undecimus,

S I V E

MATTHIÆ I.  
BONI,

Elogium.

TITVLI.

Quod Imperio Orbiquè Romano Germanico honori sit:  
Has aras Vniuersus Populorum amor posuit, dicavit

MATTHIÆ  
Divo, Augusto, Pio, Iusto, Felici  
Ob Mores Aureos,

Quibus longè amplius, quin legibus  
Efficaciùs, quàm Imperijs:  
Constantiùs, quàm Vi & Majestate subditos continuit.

Austriaco:

Ob Pietatem.

Quòd fidem orthodoxam Religionemquè  
Firmamentum & annonam Imperiorum,  
Conservârit, defenderit, propugnârit,  
Tanquam cæli miles sub DEO mereretur:

Zelatori Fortissimo:

Ob

### Ob Fidem.

Quòd Belgis Orangio, Philippo Mauritio, Aldegundio Comite,  
Perduellionis Ducibus,  
Alenconium Ducem Francorum Regis Fratrem,  
In caput evocantibus,  
Spreto legitimo Principe,  
Infidam Rempublicam non deposuerit, sed spreverit;  
Non reddiderit, sed rejecerit.

### Gubernatori Belgij,

### Ob Curas.

Quòd Ernesto Archiduce Fratre è Provinciâ abeunte,  
Prorex Vngariæ substitutus, etiam Austriæ Administrator fuerit,  
Ibiquè vivis legibus Rempublicam;  
Innocentiâ vitæ aulam; pietate templa excolendo,  
Composito ad mores Principis omni cive,  
Fundamenta iecerit regnorum.

### Pro-Regi Vngariæ, Austriæ Administratori:

### Ob Fortitudinem.

Quòd ad Albam regalem cæso plurium millium Turcarum exercitu,  
Interfecto Murate, & Mchemete copiarum Ducibus,  
Suæ Victoriæ campum, sibi gloriam,  
Cælo triumphos, DEO avitum Hungariæ regnum asseruerit,

### Duci Fortissimo:

### Ob felicitatem.

Quod Sinanem Bassam, à Tyranno Thracio centum Barbarorum millibus  
Præfectum,

Ab obsidione Commaronij depulerit,  
Novogradum, Strigonium,  
Albam regalem, arcem regni, triduo unico expugnarit.

### Expugnatori Urbium,

### Ob Victorias.

Quòd rebelles Bohemos ad obsequia coegerit,  
Ingratos Ungaros iugo dignatus sit,  
Dacos represserit,  
Balticum mare pyraticis penè Danorum navigationibus infestū, sedârît,  
& tutum reddiderit;

### Victori:

## Ob Majestatem,

Bohemiæ & Hungariæ Regi,  
Cæsari Germanico-Romano;

Duo, in hoc tanto Principe, Orbi felicissima evenêre,  
Vitæ initium, & finis.

Natus enim M. D. LVI.

XXIV. Februarij.

Eâ die in lucem prodijt,

Quâ multis ante annis, Patruus CAROLUS MAXIMUS dictus.

Et planè debebantur tam felicia sydera,

Huic tanto Partui,

Nec nisi Heroi nascituro heroa dies, vel Heroum.

Scilicet eâdem cum CAROLO luce editus,

Earundem Virtutum portentum vel à cunis nactus.

Iam Hercules tunc fuit, cùm inciperet vivere,

Et Orbis Regem agnovit, vel ex Natalibus:

Ut à cunis ad coronas progressus, vix natus purpurâ involueretur.

Edic:

Quid mireris & stupeas ampliùs?

An populos tam pronos obsequi Cæsaribus Austriacis?

Vt priùs penè obsequantur, quàm subsint:

An Austriacos sic Imperatores,

Vt priùs penè imperent, quàm nascantur:

Ego utrumquè sic miror,

Vt utriquè æternitatem apprecer.

Nec facilè mihi etiam subdito precatus fuero gratus,

Nec quidquam Austriacis dignius:

Nam quibus DEVS aliquid humano majus cum vitâ infudit,

Non decet inter mortales versari, nisi cum imperio.

Belgium ab ineunte ætate gubernavit,

Annorumquè suorum primitias jam tunc in scepra erudivit,

Tractando negotio omnium inter rixas periculosissimo.

Componendis civibus rebellibus, ut legitimo Principi cicures essent.

Et quid non potuisset, cùm Austriacus foret?

Factus seu Prometheus, seu Amphion,

Feros cultus hominum, & arte, & voce formavit.

Inde ad Coronas progressus Imperator renunciatur,

Dignus Imperio Princeps,

Qui humanissimus ipse, & ob Diadema Primus homo,

Subditos suos compendium humanitatis doceret,

Cultum D E I.

Hoc seu Principe, seu primo Parente,  
Imperium Paradisus credi potuit.

Sic altero felicior,

Quòd in illo, qui primus homo fuit exemplum cæterorum,  
Inhumanior cæteris DEO obsequi nescijt.

Hic cum primus homo esset, & talem se nosset,

Sic mores suos instituit,

Vt ad illius vitam compositi cæteri, vitam viverent,

Et tali Principe, & tali homine dignam,

Gloriâ & honore coronato,

Inde Nomen illi Zelatori fuit :

Dignus zelare pro populo, qui pro DEO sic zelasset.

Astræam ille è cælo evocatam in terras reduxit, tam Iustus, quam Pius

Cæsar :

Et ut illi iudiciorum regula Iustitia foret,

Omnia in pondere & mensurâ decreturus,

Libellam habuit ad eò æqualem, ut neutram in partem inclinaret,

Et sic unicuique, quod suum est, distribuens,

Sibi servavit, quæ alijs dabat.

Sol illi Iustitia oculata fuit, quæ alijs cæca est.

Quæ ab illo etiam docta tribunalium regulam,

Inter lites, non inter personas discrevit.

Et vel sic sublaturus populorum querelas,

Quod rectum erat, iudicabat.

Non aliter fidem facturus se non errare.

Bina hinc imperio suo commoda attulit :

Alterum, quòd esset nemo, qui auderet fucum facere sincerissimæ  
Matronæ ;

Nam Iustitia sub illo vidua non fuit, nec pupillus ;

Alterum, quòd legum peritis non licuerit dicere favorabilia,

Sed vera.

Cogebatquè in re aliàs in fucum pronâ cautiùs patrocinari :

Atquè ita sanctissimum Patroni nomen causis redditum,

Molestis citationibus, privilegijs illudendi tribunalia,

Miseriâ clientes liberavit, & Iustitiæ frontem suam restituit.

Hæc arbitrâ etiam bella gessit :

Ita in omnes eventus fælix, & triumphans Iustitia est :

Prælia illi ex voto cessere; quia justissima,

Nam semper bona causâ vincit.

Inde



Inde bis Victor, bis laureatus; semel hostes,  
 Semel iniquos vincebat æquissimus ipse.  
 Turca illi maximè hostis fuit;  
 Sive quòd Iusto, sive quòd Pio, sive quòd Victori adversaretur,  
 Ut quem nec amare poterat, nec merebatur, timere coactus sit.  
 Et inducias vicennio implorare, à quo pacem non impetrasset.  
 Nihil enim luci ad tenebras, nec pax est impio,  
 Et tamen.

מתהיהו טוב

פרת קוצו למורי לתם

יקו קוצו לתם רגליים:

Hæc si non intelligis Barbare Othomanne,  
 Viciniore & notiore tibi lingua loquar,  
 Quamvis minùs barbarâ.

Δάφνην αἰνότερον ὄρεξον ἐνθά  
 Νίκη Φοίνικα δευρο ὑψίστημον  
 Νικητῆ παρέχε, καλῆ μέγαπον  
 Τῆ Αυτοκρατορῶ κύκλι τε δάφνη  
 Φοινίξιν θ' ἑκατον σεωπὰς ἐκείνη  
 τὰς χεῖρας σεφάνη. Ἰδὲ δὲ Θρησσαν  
 ὡς ποδὴ τὰ κέρσ βάρβη Σελήνην  
 μίλιτ, τὸ συγερόν ὅταν διώκων  
 ἄστρον Αυτοκρατορῶ βέλει δρῖσευς  
 ΜΑΤΘΕΙΑΣ ἔκοπεν νύχτα Θρητικῶν.  
 πῖς αἰλ' Αυσελιακοῖς ὁπλοισι Διμητῶς  
 γοργωπῶς νεμένηκε φῶς ὁ Βίτων  
 πὴν πῶκαζόμενον θ' ἔπαίκε κημόν.  
 Τὴν χερὸς τ' ἀπέγνακε τῆς κατῆρας  
 βῶμην, Αυσελιακὸς μὲν ἢ ὁ Ηρωσ  
 τὰ Θρησσης ἔκοπεν κέρσ Σελήνης.  
 Ηφισεν πατρία βρότῳ Δράμιος  
 Ἀκρωσ Βόσπορ, ἐν τε τοῖς συγηρῶ  
 καφθεῖσιν ροθῶ σφοδρῶσι Θεξῆ  
 Καῖσπε σήματ' εἰο ἔξανισαῖς,  
 τὰς μάργας δέκοψε τῶ θυράννη·  
 Θεξῆ μέχρη ὄλ' τῶς πέπτακε,  
 Δῆπῃ ἡέλιοι ἔασσι πάντες,  
 ὅς ἢ Αρσελία Αρχοντῶς δέδακε,  
 Ταῖς γὰρ Θρητικαῖς αἰὰ Σελήναις,  
 εὐτ' ἀντίσασι σφῶς, ὄπρῆφοντες  
 μῆλον ὑψιθρόνκ σφῶν μὲν Αρχῆς  
 ἐκλειψιν βλοσυρῶν ἐπεισφῆρασι.

His Victorijs nobilitato sæculo nostro,  
Tribus FERDINANDIS felicissimo,  
A laureis ad coronas rogatus, Hungariæ Rex Pofonij, Bohemiæ Pragæ,  
M. DC. VIII. coronatur:

Dignus qui sic redimitus, etiam civicâ orbis donaretur.

RUDOLPHO Prudenti Successor imperare cæpit,

An

Parcere subjectis, & debellare superbos?

Nihil enim illô clementiùs in subditos, nihil in hostes fortiùs.  
Gavifus Orbis se tali Cæsare beatum, cuius, non vis cordi esset.

Et ipse incinctus oleâ festivior incedens,

Pacis germina MATTHIÆ dona,

Ornamenta tanti Cæsaris.

Sibi in ingenuam pompam, Populis in censum jactavit,

Aurea sub hoc Principe sæcula victuris:

Scilicet quidquid egerit,

Seu pugnârit in Sago, seu imperârit in togâ,

Utrobiquè aureus Princeps, aureum sæculum reduxit.

Fuit & hæc ars MATTHIÆ Cæsari,

Ut Imperium illi esset animorum:

Adeoq̃ue ad apicem Scientiæ regnandi evasit,

Vt cum alias non nisi grave esset subesse,

Imperante illo etiam amabile foret.

Bini illi fuere fratres MAXIMILIANUS, & ALBERTUS,  
Vxor ANNA Austriaca FERDINANDI Archiducis, & ANNÆ CATHARINÆ

Guilielmi Gonzagæ Mantuæ Ducis Filia,

Quid his non Orbi gratum, desideratum non fuit?

Erit ubi se nosse incæperit, & felicitatem suam æstimare,

Erit quô vix se capiet,

Vix se tam felicem credet, quàm est fortunæ suæ pretio,

Principes hi fuerunt, quibus Imperium majores vix habuit:

Epitome Austriacorum.

Credo jam inde à RUDOLPHO primo, Abrahamo Austriacorum  
hæc soboles defluxit,

In quam, quidquid natura alijs contulit, Virtus congeffit;

Nam illorum splendor, & serenitas, ultra Solis etiam ambitiosi domos,

Hoc magis micuit, quô minùs voluit micare.

MATTHIAS M. DC. XIX. XX. Martij diem suum vixit.

Credo concordi lumine Major,

Qui sic in terris splenduit, cum DEO victurus.

*Qualis*

Qualis punicei recens  
 Quæ veris genios, atque amarantbinam  
 Verni progeniem soli,  
 Majalesq; animas, Virgo rosarij  
 Vincit, balsamino madens  
 Imbri, floriferæ Nympha coloniae,  
 Princeps Calthula germinum:  
 Si quando rapidis saucia solibus,  
 Aut ævi nimio die  
 Progressa, herbiferis languet in areis,  
 Iam durum sibi flebili  
 Heu patrem Heliadum poscit anhelitu,  
 Nî mansuetius auream  
 Torqueri pharetram sentiat, aridum  
 Inclinat senio caput,  
 Vitalemque animam reddit, & herbida  
 Excedit Zephyri domo:  
 (Heu floræ gemitus) talis & occidis  
**MATHIA** Austriadum Pater,  
 Mæstæ sic placitum est, occidis Austriæ,  
 Æternum meritis diem.  
 At non Elysias pergis ad insulas,  
 Æternique rosarij  
 Florentes thalamos, absq; satellite  
 Qui stipet Dominum choro.  
 Nam circum altivoli fulgura nominis  
 Ingens Fama sequacibus  
 Applaudit Thyasis, & super ardua  
 Regem mollè volantibus  
 Ducit quadrijugis, non sine consono  
 Mirantis fremitû polj:  
 Qui dum laurigeris ire jugalibus

**MAT.**

*MATTHIAM ad Superos videt*  
*Æterni meritum liminis incolas ;*  
*Puris ex adamantibus*  
*Fulgentem Domini suspicit orbitam,*  
*Atque ancilia Martijs*  
*Insignita notis. Prima Sodalium*  
*Dux Concordia promicat ,*  
*Major perspicui lumine Cynthia.*  
*Quæ sic germen amabilis*  
*Tendit blandum oleæ , non minus asperis,*  
*Vt si quando jugalibus*  
*Bellona Æmonium ducat acinacem ,*  
*Dirum non humili metu*  
*Hostem percutiat. Cernis ut æmulâ*  
*Illic luce refulgeant*  
*Pictæ Parrhasio pollice laureæ,*  
*Et victricia Cæsaris*  
*Magni signa gerant? hic tumido procul*  
*Surgunt ardua vertice*  
*ALBÆ Pannonidum mænia , & efferus*  
*Tydeus Threycij gregis*  
*Sinan, Odrisyj Signifer agminis ,*  
*MATTHIA Duce splendidum*  
*Martis Bistonij ponere balthæum*  
*Iussus , tum miserabili*  
*Victus terga fugæ vertere , & improbum*  
*In pænas fundere sanguinem.*  
*Illic armisoni templa Strigonij,*  
*Cum vastæ fremitu necis*  
*Propugnat gravior Parthus , & hostium*  
*Atrox Myrmidonum manus,*  
*Auersum Austriaci non superabile*

Regis fulmen; at impias  
Infregit furias, seq̄ cadentium  
Instar nocte sub humidâ  
De cæli astriferis nubibus ignium,  
Vidit procidere insolens  
Mygdon, & domitus strage, sub Austrio  
Collum flectere Principe.

Talis nobilium gemmea siderum  
MATTHIAS juga candidis  
Inscendit bijugis, jamque amethystinâ  
Exceptus patriæ Domo,  
Rex FERNANDE tibi postulat arduo  
A pulchri Patre luminis  
Soles innocuos, & memorabilis  
Ævi perpetuum diem,  
Cui nunquam patriæ lucifer occidat  
Faustis Cynthius ignibus,  
Sed servâ niteat perpetuus face.

Sic abiens Cæsares pro testamento Imperio legavit.  
Nam cum fratres posset eidem præficere, noluit,  
Quæsiturus ad normam sui Imperatores:  
Quibus Imperium curæ esset, non qui essent curæ imperio.  
Et etsi uterque frater Maximilianus, & Albertus,  
Quia fratres ij essent, quibus orbis merito suo subesset:  
Ut tamen Cæsar videretur, non frater,  
Majestati pepercit, ut illi prospiceret.  
Ufus illâ dignitate sicut debuit.  
Nam cum quædam esset tutela suorum  
Ad ambitionem non detorsit,  
Sed factus ex Cæsare Pater,  
Eum illi præfecit,  
Quem sciebat non tam Imperatorem, sed talem ex asse futurum,  
Qualis ipse esset,

P A T R I Æ P A T R E M.

Sed Eucharisticum structurus pro Panegyri,  
Cui potissimum gratias agam ?

Parentiné, quod tales fratres reliquerit,  
Qui imperare non vellent, nisi bono publico,  
Quique ambitionem posthabentes imperij incolumitati,  
Ne eidem obessent, cum obesse possent,  
Ut prodesse maximè, imperare noluerunt.  
An fratribus? qui fratris voluntati obsecuti,  
Coronam cesserunt alteri:  
Digna hoc Cæsare soboles.

Par huic exemplo, exemplum alterum Orbis non habet,  
Tantò mirabilius, quantò plus est:  
Non imperare cum possis, quàm imperare.

DEO gratias primùm,  
Quòd MATTHIAM Austriacum Orbi dederit,  
à quo Imperium æternitatem acciperet.  
Gratias deinde MATTHIA tibi Cæsar Augustissime,  
Quòd Coronam cum fratri posses, imposueris  
FERDINANDO II.

Quem dum nomino, Mortalem non cogito:  
Sed si homo fuit, is fuit,

Quem supra mortales sua Virtus euectum cælis intulit, adhuc in terris.

Demum vobis ALBERTE, MAXIMILIANE,  
Quòd juri vestro cesseritis, & adoptatum FERDINANDVM,  
Ex voluntate fratris ad imperium admiseritis,  
tam Pij, quàm modesti.

His Cæsaribus assurgat Pax:

Sperate populi.

His Cæsaribus florebit Imperium:

Gaudete populi.

His Cæsaribus Imperium perennabit:

Acclamate populi.

Et vel sic beneficium hoc MATTHIÆ  
acceptum referte,

Quòd eos Imperio legaverit,

Qui ipso nominis etymo FERDINANDI cum sint,

Et hoc tueantur,

Etiam FERDINANDI sunt.

Et hoc ornant.

Quos nobis boni cœlites

(Nam ad conservandam felicitatem aliã felicitate opus est)

Non bis, sed ter, & quater secundos,

imò sine numero Secundissimos

Pro DEO & populo

velint, jubeantque.







CORONÆ  
DUODECIM CÆSARUM  
AUSTRIACORUM

Radius Duodecimus,

*S I V E*

FERDINANDI II.  
P I I

Elogium.

E P I T A P H I V M.

Hic, imò non hïc jacet,  
Qui semper stetit pro Domo DEI,  
F E R D I N A N D V S I I.  
Cæsarum Cæsar,

Orbis terror, & delictum,  
Duodecimus Austriacus Imperator,  
Duodecim Imperatorum Epitome.  
Cui Epitaphium hoc scribit Orbis;  
Quem ipse propè de sepulchro erexit:

Siste igitur gradum,  
Et cogitatione aspice marmora, quæ non vides oculis.

Hæc ad hunc tumulum tributariæ constituunt  
Urbes, Regna, Provinciæ, Imperium.

Et quidquid se debet FERDINANDO.

Quæ prima nato suo applausit Archiduci,  
Denato Salvatori suo sic Parentat Styria:

Patria fui Parentis mei,  
In Me FERDINANDVS natus est, in FERDINANDO  
ego renata.

Ego illum, ille me fecit aspicere lucem.  
 Iam jam expiratura,  
 In faciem ipsa meam inspiravi spiraculum Vitæ.  
 Tantum Cæsarum apicem, mei parturiere montes.  
 Ab his abscissus est sine manibus lapis,  
 Qui confringeret statuam, quam sibi hæresis erexit.  
 Et cominuta est statua, & factus est mons ille in Montem magnum,  
 Et implevit totum Orbem  
 Dominatus à Mari, usque ad mare.  
 Ipse dum vixit FERDINANDUS  
 Erat mihi ignis columna per diem,  
 Semper quidem; tum verò maxime,  
 Quando Eucharisticum manna  
 Accensâ face secutus,  
 Facem Populis suis prætulit.  
 Postquam vivere desijt,  
 Vicariam sui mihi reliquit columnam ignis per noctem,  
 Græcensem Universitatem.  
 Utraquè hæc Ductrice,  
 Quanti appulere in terram sanctam Ecclesiæ!  
 Numera stellas, si potes, FERDINANDE,  
 Quas tu vel extinctas iterum succendisti,  
 Vel fecisti de errantibus fixas.  
 Ad tuum hæc omnes ardentes tumulum ministræ sunt faculæ,  
 Et dicunt, tibi adsumus:  
 Lucentquè tibi cum jucunditate, qui fecisti eas.  
 Ut crederem vocem tuam esse vocem Cæli,  
 Semel locutus es, & Cæli dederunt vocem suam.  
 In obstinatos sæpè tu tonabas pro DEO,  
 Semel pro te DEVS intonuit:  
 Eram campus plenus ossibus mortuorum,  
 Non nisi vehementi spiritu suscitandus,  
 In tuâ igitur voce factus est repente de cælo sonus,  
 tanquam advenientis spiritus vehementis.  
 Et ex eâ primùm die,  
 Capisti esse Propheta acceptus in patriâ tuâ.  
 Vivus mihi animam dedisti primam:  
 Defunctus mihi corpus reliquisti, animam secundam:  
 Venisti, ut vitam habeam: abiisti, ut abundantius habeam,  
 Et in tuo saltem tumulo perpetuam custodirem aurifodinam.  
Apud

Apud me igitur jam sit *requies* tua, hic habita; quoniam elegisti me.

Filiam Parens, Parentem Filius:

Quæ cum angusta tua ossa custodit, planè audet dicere:

Hæc nunc *ossa* de *ossibus* meis.

Nunquam tui apud me sepelitur memoria,  
Quia apud me sepultum esse voluisti memoriale tuum.

Vox corporis tui clamat ad me de terrâ,

Ut memor sim tui.

Nunquam mihi non erit intimus;

Quia etiam tuos cineres jam imbibi,

Ex illo incendio superstites,

Quod mei amore sapius flagravat.

Habebo in hoc monumento, cui verba hæc inscribo,

Æternum tui monumentum.

Tua Styria semper de te cogitatura,

Cesso de te loqui alijs, non cesso loqui mihi.

Tu verò quisquis tumulo vicinus es,

Progredere oculis Viator, non pedibus:

Terra enim in quâ stas, terra sancta est.

Ex quo in gremio suo condit sanctum Cæsarem FERDINANDVM.

Vicinos quos vides characteres lege,

Et cogita Austriam te audire sic loquentem:

Vides marmor hoc in cordis effigiem elaboratum,

Meum illud est:

Cui omnia Ferdinandi beneficia incidi, ut nunquam perirent.

Abstulit ille aliquando à me cor lapideum

Adfero illi ego cor lapideum

Manum meam aliquando cordi regio apposui,

Nunc pono cor meum in manû Regis.

Fonti vitæ meæ dono fontem vitæ meæ:

Nec alium volo esse FERDINANDO meo lapidem sepulchralem,

Quâm cui insculpsi meipsam,

Omni efficacius Epitaphio locuturam:

Qua parte faucia sum, disce,

Qualem FERDINANDVS invenerit,

Quâ parte sana sum, disce,

Qualem FERDINANDVS fecerit.

Quâ parte captiva sum,

Dirupit vincula mea.

Quâ parte libera sum,

Ligavit vincula mea.  
 Murum erecturus pro domo DEI,  
 Tritum Ecclesiarum primos lapides in me posuit:  
 Ut quæ propè jam corruerat, fulciretur.  
 Viennâ primùm hæresin exulare jussit  
 Naturæ ritu,  
 Quæ venena primò propellit à Corde.  
 Erat ille pro salute meâ, quavis rupe firmior,  
 Eram ego pro salute meâ, quavis rupe durior:  
 Donec tandem utriusquè filicis concussione factum est,  
 Ut oriretur lux in tenebris,  
 Quâ etiamnum in die ambulo.  
 De salute suâ propè periclitatus, ut mea mihi salus securâ foret.  
 Cùm nollet iniqua postulantes audire,  
 Audijt æqua postulantem DEVS,  
 Et elingui è cruce FERDINANDO locutus,  
 Benè etiam sperare jussit eum,  
 Qui benè credere semper omnes jubebat.  
 Ibi igitur animos sumpsit FERDINANDVS, ubi animam DEVS egit.  
 Et nisi tantos ille semper animos in fidem gessisset,  
 Pridem ego meam animam egissem:  
 Quam, ne unquam agam, in hoc volo tumulo consepultam  
 Meo FERDINANDO,  
 Vel ideò mihi Secundo;  
 Quòd, quidquid felicitatis accepi à primo,  
 Ab isto acceperim etiam geminatum.  
 Ita Austria ex consueti sibi coloris lege:  
 Candidè omnia, & omnia Verecundè.  
 Huic vicina Bohemia  
 Paucis suis lineis plurima sua sensa committit:  
 Serò inquit te amavi amator meus.  
 Ego te furore oppugnavi, tu me amore expugnasti.  
 Quantò ad offensam ego pertinacior, tantò tu ad veniam facilior.  
 Non credebas te lædi, dummodò me sanares.  
 Cui ergo vivo portas occlusi, defuncto cor aperio,  
 Quod, ne adire vel vereare, vel abnuas,  
 Quisquis in eo sanguis erat,  
 Qui pro te effundi non vellet,  
 Iam contra te effusus est,  
 Et album montem etiam purpuravit,  
 Ut exinde semper Austriacus foret,

Præsertim quando Victrix in eo Austriaca Innocentia fecit,

Ut jure jam compellari Mons albus debeat.

Una illa dies & mihi & tibi tam fælix fuit,

Ut non lapillo tantum,

Sed albo planè monte notari debuerit.

Certum tibi vaticinium erat de futurâ Victoriâ,

Cujus Generalissima fuit Castrorum acies ordinata.

Duce Virgine, in Virgine monte, pro Virgine Religione, non potuit  
non triumphare.

Sit hoc Parthenio Victori, Partheno-Epinicion



*V*de laurigeræ Filia Phocidos,

*Aude Calliope, prodere simplici*

*Iurataq; fide, qualiter innocens*

*Ille, & fidereæ dulcis ocellulus,*

*Sidus Parthenium, & gratia Virginis*

*FERNANDVS, valida gloria Teutonis,*

*Et Cæsar, Dominam sæpius arbitris*

*Tantisper tacito cedere ab atrio*

*Iussis, innocuis in penetralibus*

*Affari solitus: dic, age conscia*

*Secreti gemitus, & penetrantium*

*Fibras æthereæ Virginis ignium.*

*Hæc credo, aut simili voce, reconditas*

*Imo prodiderit pectore flammulas.*

*Nolo Partheniæ Matris ut immemor*

*Lethæi sterilem fontis ad alveum*

*Potem somniferi pocula Morphei,*

*Maternosquæ animos, & mihi sæpius*

*Porrectam in rigido turbine dexteram*

*Obducam indecoris nube silentij.*

*Salve Parthenij Diva Rosarij.*

*Quis te nobilium gloria montium,*

*Musis prætereat tristè silentibus?*

Te Regina canam, te socialibus  
Divorum citharis inter orantium  
Conjurata canam castra Quiritium.  
Tu me pervigili pervigil obsides  
Armatum excubiâ, sive micantium  
In cæli nitidis nubibus ignium  
Stellatas vigili lumine lampades  
Contempler, gelido sub Iove languidus  
Mundani nimum luminis incola:  
Seu lotam pelago sideris aurei  
Speculo cæsariem, cum iuga montium,  
Orantesq; rosas, & sibi supplicem  
Caltharum in viridi rure modestiam  
Vivis Sol oriens afflat honoribus:  
Tu me pervigili ducis, & obsides  
Armatum excubiâ. tu socialibus  
Clausum præsidij, non mihi debitas  
Invitas Superi Regis ad insulas.  
Quid? cum castra ferox, cum movet horridum  
Toto Marte scelus, cum lituo tubæ  
Certantes fremitus, bellaq; Numini  
Intentata canit, perfidus Inferi  
Regnator? famuli tu tibi creditum  
Armatura latus, tu miserabiles  
Prædonis furias, & populo gravem  
Frænatura manum, me facilis doces  
Virtutis solidæ non temerarium  
Nec vulgare decus, tu trepido assides,  
Ut Mater catulis agna fidelibus,  
Adversum Stygiæ jura superbiæ:  
O digna Ebsiæ Nympha Colonia!

Quod

Quòd si me rigido concutit impetu,  
Si mortale Nelus prælia suscitât,  
Seu me Parrhasiæ Baltheidos insolens  
Poscit Mœnaliâ cuspide Wandalus:  
Seu civile nefas, & mihi perfidus  
Mavors Hercyniæ bella Bohemiæ  
Intentat, rabidâ fulmen agens manu;  
Tu præ Sithonijs hoc adamantibus  
Firmas oppositum pectus ad Hectora:  
Seu me vulnifico turbine pestifer  
Livoris rabidi quærit aculeus;  
Seu fraudis tacito fortè silentio  
Tentat regna mei fallere pectoris,  
Clandestina movens bella nefarius  
Occultâ arte furor, quiq; reconditam  
Ut blandâ simulet fronte proterviam;  
Pro verbis liquidum stillat amaracum,  
Et bellè è crocini sede labelluli  
Fundit mellistuis, cum salivunculis  
Rorantes casias, atq; amaranthinis  
Manantem Ambrosiam prodigit imbribus.  
Opulchra Elysij Nympha Rosarij!  
En totum liquido me tibi fœdere  
Totum reddo cliens, scilicet aureo  
Stellantis patriæ proximus æquori,  
Qui dicor famulus Virginis inchtæ,  
Æternusq; cliens. Me tamen agmini,  
Me Regina tuo, me tibi supplicem,  
Me si Parthenijs cætibus inseris,  
Et iurata meas ducere copias,  
Dignaris famuli Martia Cæsaris

Audire

*Audire in populo Præses, & Arbitra  
 Cætûs armigeri, cum Duce subditus  
 Cui miles socio pareat agmine:  
 Iam nunc me Populo, juraq̄ dantibus  
 Majorem Dominis, iam benè sanguinem  
 Dicam nobilium Virgo Parentium,  
 Æternusq̄ cliens Virginis, arduos  
 Audebo volucris lege per Africos,  
 Non auriga piger ducere flexiles  
 Totà mole rotas, iamq̄ vel æthera,  
 Et stellas tumido tangere vertice.*

Accedat Græcij Styrorum condito  
 D. FERDINANDO II.  
 LAUS QUOQUE GRÆCA.

Φ Ε Ρ Δ Ι Ν Α Ν Δ Ο Σ  
 Δ Ε Υ Τ Ε Ρ Ο Σ .  
 Π Ρ Ο Σ Υ Ν Η Σ .

Ο νόμασι μόνον ΔΕΥΤΕΡΟΣ,  
 Ἀρετῇ δὲ ΠΡΩΤΟΣ ἦτο.  
 Ταύτῃ μόνῃ χρείφατο  
 ΦΕΡΝΑΝΔΟΣ ἠδ' Ἰννύθου  
 Τὸν μὲν ἀφοσώλιζεν μανικὸν  
 Σουρβοπιὸν τε ἄσδον.  
 Ἐν πρώτῃ περὶ αὐτοῦ ἦ  
 τῷ ΦΕΡΔΙΝΑΝΔΟΥ αἶνον.  
 Ἐγνώκε λύσασθ' ἐκφρονί  
 ἔξαιρέειν ὀδόντα,  
 καὶ συγγνώσκειν αἰτίοις,  
 τίπτειν ὅμως δ' ἰννύθου.  
 Εἰ καὶ ἐπαῖνον Ζεὺς ἦε,  
 μήποτε ὅμως ὁ δῆμος  
 βροντῶντα αὐτὸν ἐβλεπε  
 ἢ ἀσφαπτοντα περὶ  
 Ζεὺς ἦτο, ἀλλ' οὐ μήποτε  
 τὸ βασιλικὸν πρῶτον  
 κατέδυνε ἢ κατωδύνη,  
 νεφελὴ χόλι καὶ ὄργη.  
 Περὶ ῥημάτων ἐπέβραχε  
 μέλι, νέκταρ, ἀνθημόν τε.



Μᾶλλον δὲ ὅσας τῶν ἐν  
 αὐτῷ ἔβλεψε νυκτός.  
 Ἰσριακὸν ἔβλεπε ἥλιον  
 αὐγῇ καλῇ γαληνόν.  
 Ἐνθὲν δὲ ἐκείνε σκηπτοφί  
 καὶ χάρισι πᾶσα τύβη.  
 καλλιερέσσα τῶς σφείων  
 ἔρωκε τῶς ἔρωτας.

Prima porrò lingua  
 claudat omnia.

פֶּרְדִּינַנְדֵּשׁ בַּ קְרוּשׁ

שְׁמוֹ שֶׁל מְלִיכָאנוּשׁ

עָרָה שֶׁבְּטַעַם עֵדֶן גִּרְוֵן

לִתְּוֵה לֵאמֹר מִלְכוּתָהּ בְּיָמֵינוּ

שְׂדֵי בְּעוֹדֵים לְכַל קִנְיָהּ




*Æc Gratulationis nostræ, Decoris tui Coronâ est,*  
**FERDINANDE REX AV-**  
**GVSTE, Gloria, Majestas, & Virtus**  
**MAIORVM** tuorum, quâ ipsi ducentorum & sexaginta  
 annorum Imperium, per duodecim **GENERATIO-**  
**NES** in **TE** felicissimè transfuderunt. His tot annis sine  
 exemplo ullius prosapiæ imperatum est ab Austriacis: sine  
 exemplo sanè: Siquidem nulla, ne ad dimidium quidem, horum  
 annorum pervenit. Gloriosum certè Lucelburgicorum Ducum  
 stemma non nisi octuaginta tribus annis inter Cæsares versatum  
 est. Othonicorum verò Saxonum Illustre genus, centum sex annis  
 Sacro Imperio præfuit: duobus ampliùs Carolingorum vetustum  
 nomen. Divi Henrici Francones, novem supra centum annos  
 imperitârunt. Antiquissima Ducum Sueviæ Familia supra cen-  
 tum vicenos: omitto reliquas Principes domos, utpote hisce lon-

gè inferiores; Hæ tam singulares & excellentes prærogativæ  
tam diu prorogati Imperij manent, æternũ q̄ manebunt penes  
solos Austriacos, qui ab Alberto II. continuatâ regnandi serie du-  
centis quindecim annis iam imperant. Octavianus Augustus, dum  
lustrum in Campo Martio Romæ conderet, vidit Aquilam in  
foro sæpius circumvolantem, tandemq̄ in vicinâ domo supra pri-  
mam literam nominis Agrippa confidentem: Simile aliquid vide-  
runt octona hæc à Carolo Magno Primo Romano-Germanico  
Cæsare sæcula. Circumvolabat in Germaniâ Romana Aquila  
per antiquas & gloriosas complurium Principum Prosapias, tan-  
dem in literâ A. Austriacorum, inquam, Archiducum Augustissimâ  
Domo semper mansura consedit. Hoc sanè virorum tum Sapientiâ,  
tum dignitate præstantium, etiam hiscè periculosis Austriæ tem-  
poribus, omen fuit: illas quinq̄, *Friderici Quarti* vocales A. E. I.  
O. V. ita constanter interpretantium: **AVSTRIA-  
CI ERVNT IMPERATORES OR-  
BIS VLTIMI.** Hanc præeminentiam tam gloriosam,  
quàm raram, Tibi **AVGVSTE REX** cum bonis  
omnibus, etiam atq̄ etiam gratulamur, simulq̄, vetus illud accla-  
mamus: **VIVE! IMPERA! MELIOR TRAI-  
IANO! FELICIOR AVGVSTO!** (quæ  
vota quàm aptè te respiciant, vide:) **VIVE!** (iteramus)  
**IMPERA! FERDINANDEREX, ME-  
LIOR TRAIANO PRO DEO, FELICI-  
OR AVGVSTO PRO POPVLO.** Vbi  
quidem illud tacitè te reddere credimus, quod *Alphonsus Sapiens,*  
**REX** Aragoniæ salutatus, respondit: cui, cum populus univer-  
sus festivè accineret: **VIVAT REX! VIVAT REX!**  
piè & sapienter reposuit ille: **Vivat Lex! Vivat Grex!**  
potiore Tu jure gloriosâ hæc annominatione uti potes: **VIVAT LEX PRO POPVLO! Vivat Grex PRO**

**PRO DEO.** *Atq̄ ideò haud scimus, an non idem in Tuà Inauguratione cœli us factum sit, quod coronato Honorio Cæsare accidisse memorià proditum est: ubi suavissima melodia in cælo audita, stellæq̄ motu quodam inusitato, veluti hilari saltu, circumlatæ dicuntur. Erat sanè, ut cælum tibi applauderet PIENTISSIME Regnatura**RO PRO DEO**: ut stellæ insolito tripudio exultarent IUSTISSIME Imperatura**RO PRO POPVLO**: Siquidem & stellas populi Dei symbola iam dudum agnovimus, & subidem tempus, quo Romanorum REX dictus es, novam stellam ad augendam reliquarum letitiam, in cælo accendi, velociq̄ cursu, (saltu veriùs) per aëra circumduci vidimus: ut tandem aliquando Cometes aliquis oriretur, non mutans Regna (ut Lucanus canit,) sed firmans, inq̄ ultimum usq̄ ævum sua Austriacis producens Imperia. Quod nobiscum omnes boni optant, vovent, sperant, & apprecantur.*

A. M. D. G. B. V. M. H.

FINIS.



VIENNÆ AUSTRIÆ,  
Per Matthæum Cosmerovium, Typographum  
Aulico - Cæsareum.

ANNO DOMINI M. DC. LIV.

PRO DEO ...  
SIME REGINAE ...  
I. O. ...  
A. M. D. ...

...  
...  
...

A. M. D. V. M. H.



FINIS

VIENNAE AUSTRIAE  
Pet. Matherii ...  
Anno Domini M. DC. LII

